DE IMPERFECTI ET AORISTI USU THUCYDIDEO.

DE IMPERFECTI ET AORISTI USU THUCYDIDEO.

(PARS PRIOR)

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI CAROLI PHILIPPI SLUITER, IN DISCIPL. MATH. ET PHYS. FACULTATE PROF. ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET LUDOVICUS JACOBUS HILLESUM AMSTELODAMENSIS DIE X MENSIS JULII ANNI MCMVIII HORA XI IN AULA ACADEMICA.

LUGDUNI-BATAVORUM
APUD E. J. BRILL
MCMVIII

Typis E. J. BRILL, Lugduni Batavorum.

PARENTIBUS

Studiis academicis finem impositurus Professoribus Scholae Amstelodamensis, Viris Clarissimis, quorum lectionibus tam publicis quam privatis per tot annos ut interessem mihi contigit, hic publice gratias quam maximas ago tam pro eruditione qua me imbuerunt quam pro beneficiis identidem in me collatis. Ex quorum virorum ordine jam morte abreptos pia memoria recolo CORNELIUM BELLAAR SPRUYT, MARINUM ANTHONIUM VAN MELLE; *a Vobis autem, Clarissimi* VALETON, KARSTEN, SIX, VAN DEN ES, *peto ut eam benevolentiam quam per totum studiorum tempus erga me praestitistis in posterum quoque in me conferre velitis. Tibi quoque, Clarissime* DE BOER, *pro comitate quam nuper mihi ostendisti gratum testificor animum.*

Tu imprimis, Clarissime KUIPER, *aestumatissime promotor, laudibus gratibusque mihi venerandus es, primum propter praestantissimam institutionem Tuam, qua cui ut frueretur obtigit is non potest non amare litteras Graecas, deinde propterea quod Te potissimum adhortatore studia philologica, quibus non nisi accessorie operam daturus eram, ad finem perduxi, tum etiam quod me in hoc libello conficiendo occupatum egregiis consiliis adjuvare*

numquam desiisti. Quibus utinam in posterum quoque semper mihi adsis, praesertim in edenda altera hujus opusculi parte, id quod non ita multo post spero eventurum.

Etiam quantum ex Tuis, doctissime Beck, *scholis privatis fructum perceperim palam hic agnoscere juvat.*

Denique Viro Clarissimo Uhlenbeck, *Professori Leidensi, pro ea comitate qua ante hoc biennium mihi roganti quaestiones quasdam materiam quae hoc libello tractatur spectantes solvit ex animi sententia gratias ago.*

CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

PARS ALTERA (nondum in lucem edita).

PRAEFATIO.

„Eine Schwierigkeit, die mit keiner anderen weder an häufigem Vorkommen noch an zähem Widerstreben zu vergleichen ist, bietet im Griechischen der Aorist in seinem Verhältnis zum Präsens und Imperfektum." Sic incipit BLASSIUS[1]) disputationem de aoristi et imperfecti apud Demosthenem usu impugnaturus virum clarissimum O. RIEMANN, qui in commentatione „La question de l'aoriste grec"[2]) temporum usu in loco Gorgiae Platonici quodam disquisito concluserat permultis locis nihil interesse inter aoristum et praesens sive imperfectum, quin etiam interdum alterum tempus melius ad sententiam fuisse conventurum. Optimo jure BLASSIUS hanc conclusionem judicat „einleuchtend falsch". Sane negari non potest, saepe difficillimum esse dilucide explicare cur scriptor quidam uno loco imperfectum, altero aoristum posuerit; discrimen subesse vel potius subesse debere sentimus, qua vero animi mentisve dispositione inductus auctor alterum utrum tempus elegerit, nos primo obtutu persaepe latet neque id nisi intentissima cura perspicere possumus. Rigidis regulis atque praeceptis hic locus non est. Id quod v. c. GILDERSLEEVE[3]) pulchre

1) Demosthenische Studien III, Aorist und Imperfekt; Rh. Mus. N. F. 44 (1889) p. 406—430.

2) Mélanges Graux p. 585—599.

3) Problems in Greek Syntax, Am. Journ. of Phil. XXIII (1902) p. 252.

his verbis expressit: „— much will always be left to immediate feeling and Queen Grammar will lose her rights'' et paulo infra: „Here, then, on what some would consider the very threshold of the language, we meet a problem that is to be solved by sympathy and sympathy alone. The open sense of the student is the only open sesame''. Quam vere haec dicta sint expertus novi. Mihi quidem imperfecti et aoristi usum Thucydideum commentanti haud raro accidit ut, cum aliquam legem ad hunc usum pertinentem invenisse me putassem, eandem postea, cum in novas et inopinatas locutiones incidissem, omittere sive commutare deberem. Vix alia lingua est, quae tam impatiens sit certarum atque immutabilium regularum quam Graeca nec tantopere ulla nos cogit ad veram naturam syntactici cujusdam formae usus cogitando penetrare, quotiescunque locos a solito usu abhorrentes enucleare volumus. Si usquam, hic sagaci mente opus est. Ex animi sententia assentior WEILIO [1]) de syntaxi Graeca haec praeclare, ut mihi videtur, scribenti: „Rien ne ressemble moins à un code (que la syntaxe grecque): elle obéit, il est vrai, à des lois que l'on peut dégager, mais dès qu'on essaye de formuler ces lois, elle résiste, elle réclame sa liberté: cette liberté n'est cependant pas la licence; si elle semble enfreindre la lettre de la loi, c'est pour mieux se conformer à son esprit. C'est que la langue grecque, produit naturel d'un peuple admirablement doué, n'a pas connu pendant des siècles le joug étroit des grammairiens de profession; instrument d'une merveilleuse souplesse, elle s'ac-

---

1) Journal des Savants, Mai 1901; locus laudatus est a v. c. Gildersleeve l. l. p. 2.

commoda au caractère des genres littéraires, au génie des poètes, des orateurs, des écrivains qui savaient en jouer, capable de rendre les plus fines nuances du sentiment et de la pensée. Mobile et variée à l'infini, tout en restant la même, cette langue fait, par son apparente indiscipline, le désespoir des grammairiens rigides et les délices des esprits qui savent la goûter".

CAPUT PRIMUM.

DE IMPERFECTI ET AORISTI USU IN GENERE DISPUTATUR.

Error principalis qui per multa saecula prohibuit quominus aoristi apud scriptores Graecos usus recte perspiceretur hic erat, quod omnes formae aoristi tempus praeteritum significare putabantur. Qui error ex alio errore natus esse videtur. Nempe communis opinio erat formarum genera quae ,,temporum'' nomine indicantur nihil indicare nisi temporis relationem, quae intercedat inter eum qui loquitur atque actionem de qua loquitur. Quae inveterata opinio rursus orta erat ex eo, quod antiquiores grammatici in linguae legibus constituendis a schematis logicis proficiscebantur, cum contra, quod posteriore demum parte saeculi proximi a viris doctis intellectum est, lingua vivi corporis loco sit habenda, cujus leges ex ipsius contemplatione effici, non a priori e principiis logicis derivari debeant. Illa antiquior ratio bene cognosci potest ex iis, quae Godofredus Hermannus in libello „De emendanda ratione Graecae grammaticae'' (pars prima, Lips. 1801) cap. XV de verbo disputavit, ubi e deductionibus mere logicis hoc concludit (p. 180): „— Quamobrem omnis verbi relatio ad temporum inter se rationem comparationemque pertineat necesse est''.

Cui loco, ut lectorem in medias res agam, statim opponam sententiam quam nostra aetate scientia linguarum comparativa sibi conformavit, nempe in ea lingua, a qua omnes linguae Indogermanicae originem duxerunt, proprie „tempora", i. e. verbi formas quibus temporis relatio indicatur, non exstitisse; tempora autem quae vocamus unice ad genera actionis exprimenda in usu fuisse. Quam sententiam v. c. W. STREITBERG[1]) disertis verbis sic pronuntiavit: „— damals (i. e. in der indogermanischen Urzeit) existierten überhaupt keine Tempora d. h. keine formalen Kategorieen, deren ursprüngliche Funktion es war, zur Bezeichnung der relativen Zeitstufe zu dienen: die Formenklassen, die wir Tempora zu nennen gewohnt sind, haben an sich mit der relativen Zeitstufe nicht das geringste zu schaffen. Zeitlos sind vielmehr alle Präsensklassen, alle Aoriste, alle Perfekta in allen ihren Modis und sie unterschieden sich von einander nur durch die Art der Handlung, die sie characterisierten etc." Res sic se habet. Si verbi formas accuratius contemplamur, videmus ex iis formis, quae tempora praeterita vulgo vocantur (imperfectum, aoristus, perfectum, plusquamperfectum), eas solas quae augmento praeditae sint actionem tempore praeterito esse actam significare. Perfectum igitur temporibus praeteritis omnino non est adnumerandum; quod ad notionem temporalem attinet praesens est. Ad tempus praeteritum designandum tantummodo indicativus im-

1) Perfective und imperfective Actionsart im Germanischen, Paul und Braune's Beiträge XV p. 116; cf. ejusdem Urgermanische Grammatik (Heidelberg 1896) p. 276.

perfecti, aoristi, plusquamperfecti adhibetur. Hoc si verum est, jam quaerimus: quid interest inter formas quales sunt *ἐγίγνετο*, *ἐγένετο* *ἐγεγόνει*?

Significationis discrimen subesse debet; quod discrimen cum pertinere non possit ad tempus actionis (tribus enim illis formis verbi actio tempore praeterito ponitur), jam sequitur variis illis formis varias ipsius actionis conditiones significari debere. Porro liquet idem quod interest inter *ἐγίγνετο*, *ἐγένετο*, *ἐγεγόνει* etiam interesse debere inter ceteras formas quae ab iisdem thematis derivantur: *γίγνωμαι*, *γένωμαι*, *γεγονὼς ὦ*; *γιγνοίμην*, *γενοίμην*, *γεγονὼς εἴην*; *γίγνου*, *γενοῦ*, *γογονὼς ἴσθι*; *γίγνεσθαι*, *γενέσθαι*, *γεγονέναι*; *γιγνόμενος*, *γενόμενος*, *γεγονώς*. Inter viros doctos nunc satis constat diversis thematis (themate praesentis, aoristi, perfecti) diversos status sive gradus actionis indicari. Sed jam pater syntaxeos, Apollonius Dyscolus, (e. g. *περὶ συντάξεως* III 24) quodammodo sensisse videtur formas aoristi praeter indicativum non indicare tempus praeteritum; quamquam ut tempus et gradum actionis, quorum discrimen non prorsus eum fugit, constanter discerneret ei non contigit [1]). Usque ad dimidium fere saeculi quod nostrum antecessit fuerunt viri docti qui in antiqua opinione perseverabant, velut FRIDERICUS THIERSCHIUS, qui in institutione grammatica sua (Griech. Gramm., vorzüglich des homer. Dial. ed. tert. 1826) imperativos quales sunt *κάθηρον*,

---

1) De qua re vid. H. STEINTHAL Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern, ed. prim. p. 653—657; H. MELTZER Zur Lehre von den Aktionen bes. im Griechischen, Indogerm. Forsch. XVII p. 194; B. DELBRÜCK Vergleichende Syntax der indogermanischen Sprachen, 2ter Teil 1897, Kapitel XVI (Tempora und Aktionen), in quo capite historia nostræ quaestionis luculenter tractatur.

λοῦσον, χρῖσον vertit »habe ihn gereinigt, gesalbt etc"; sed etiam alii, in quibus K. W. KRÜGER (Griech. Sprachl. für Schulen), quamquam magno fructui eorum studia temporum usus cognitioni fuerunt, tamen non plane perspexerunt suam cuique themati actionis status significationem inhaerere. G. CURTIUS, qui primus inter philologiae classicae studiosos fructus scientiae linguarum comparativae in usum Graecae grammaticae convertit, primus in nostra quoque quaestione verum invenisse videtur. In libello suo „Erläuterungen zu meiner griechischen Schulgrammatik" (ed. tert. Prag 1875) p. 180 sq. diserte pronuntiavit verbi Graeci formis non tantum exprimi relationem temporalem quae intercedat inter eum qui loquitur et actionem de qua loquitur, sed etiam statum actionis ipsius. Illam vocavit „Zeitstufe" (Vergangenheit, Gegenwart, Zukunft), hunc appellavit „Zeitart" [1]. Ne tamen haec

---

1) Ipsa Curtii verba, quibus l. l. voces „Zeitstufe" et „Zeitart" circumscribit atque explanat, sunt haec: "Im griechischen Sprachgefühl lag eine Dreiheit temporaler Unterscheidung, die mit der von Gegenwart, Vergangenheit und Zukunft sich durchkreuzt und das ganze reiche System der Tempora, Modi und Verbalnomina durchdringt. Weil ich für jede dieser Dreiheiten einen Gesammtnamen nicht vorfand, so musste ich einen solchen erfinden. Da stellte sich nun heraus, dass die eine temporale Unterscheidung eine mehr äusserliche, die andere eine innere war. Der Unterschied zwischen Gegenwart, Vergangenheit und Zukunft beruht nur auf dem Verhältniss der Handlung zu dem sprechenden. Ich nenne also diesen Unterschied, bei dem es nur auf den Standpunkt ankommt, den der Zeitstufe. Die Handlung fällt mit dem Standpunkte des redenden entweder zusammen, oder sie liegt — als Vorstufe — hinter ihm, oder — als noch zu erreichende — vor ihm. Der Ausdruck ist, glaube ich, nicht misszuverstehen. In dem gewählten Bilde liegt zugleich deutlich bezeichnet, dass der Unterschied durch blosses Fortschreiten in der Zeit ohne innere Änderung der Handlung verrückt wird. Offenbar musste nun aber die Differenz zwischen γενέσθαι, γίγνεσθαι, γεγονέναι durch ein Wort bezeichnet werden, das sofort andeutet, dass es sich hier um eine innerhalb der Handlung selbst liegende Differenz, nicht bloss um das Verhältniss zu etwas ausser ihr liegendem handelt (cf. quae supra demonstravimus p. 6). In diesem

duo similitudine nominum inter se confundantur neve in veterem errorem recidamus, nunc viri docti pro eo quod est „Zeitart" vulgo adhibent vocem „Art der Handlung", „Aktionsart", „Aktion", quam Latine interpretari possumus „genus actionis". Post Curtium alii quoque viri docti illam quaestionem, qua ratione variis verbi Graeci formis tempora („Zeitstufen") et actionis genera („Aktionsarten") exprimantur, fusius tractarunt, velut: B. Delbrück Vergleich. Synt. d. indog. Spr. in capite laudato, et in libello Die Grundlagen der griechischen Syntax (Syntaktische Forschungen IV), Halle 1879; G. Herbig Aktionsart und Zeitstufe (I. F. VI, 1896, p. 157—269); K. Brugmann Kurze vergl. Gramm. d. indog. Spr. (Strassburg 1904), et Griechische Grammatik (ed. tert. München 1900); C. Mutzbauer Die Grundlagen der Tempuslehre und der homer. Tempusgebrauch (Strassburg 1893); H. Meltzer Zur Lehre von den Aktionen bes. im Griechischen (I. F. XVII, 1904, p. 186—278).[1])

Nunc quam brevissime potero disseram de iis quae a viris doctis in hac materia reperta sunt, quae hic illic meis propriis observationibus supplebo.

Sinne wählte ich den Ausdruck Zeitart, indem wir ja das Wort Art recht eigentlich da verwenden, wo wir specifische, innere Eigenthümlichkeiten benennen wollen etc".

1) Obiter monere velim in linguis Semiticis quoque verbi tempora proprie diversa genera actionis significare; cf. Gesenius-Kautzsch Hebräische Grammatik (ed. vices. quint. 1889) p. 124 ann. 2: „Dem semitischen Tempusbegriff, der das Geschehen nur unter dem Gesichtspunkte der vollendeten oder unvollendeten Handlung anschaut, ist das indogerm. Fachwerk dreier Zeitsphären (Vergangenheit, Gegenwart, Zukunft) von Haus aus fremd." Alii apud alios auctores loci huc pertinentes laudati sunt apud Herbigium l. l. p. 161 ann. 5.

Curtius constituit omnes formas a praesentis themate derivatas (praesens igitur et imperfectum), quas posthac formas praesenticas appellabimus, significare „die dauernde Handlung"; formas omnes ab aoristi themate derivatas, quas formas aoristicas vocabimus, significare „die eintretende Handlung"[1]; omnes vero formas a perfecti themate derivatas, quas formas perfecticas nominabimus, indicare „die vollendete Handlung". Cum de perfecticis formis non nisi obiter acturi simus, hic monere satis habemus nunc inter omnes fere constare perfecto significari statum sive conditionem quae ab eo qui loquitur eo temporis momento quo loquitur exstare fingitur ut eventus actionis jam nunc praeteritae, velut Il. B 135 *δοῦρα σέσηπε* i. e. trabes nunc putres sunt, qui putredinis status e putrefactione praeterita natus est; Thuc. VII 12, 1 *πεπόμφασι δὲ καὶ ἐς Πελοπόννησον πρέσβεις ἐπ' ἄλλην στρατιάν* i. e. Syracusani eo quoque nobis superiores sunt quod eorum legati nunc Peloponnesum petunt ad novos milites scribendos. Quod ad temporis igitur notionem attinet perfectum idem valet ac praesens, quod luculenter apparet ex iis quae leguntur ib. § 3: *νῦν δ' αἵ τε νῆες διάβροχοι* (sc. *εἰσίν*) — *καὶ τὰ πληρώματα ἔφθαρται* i. e. jam parum militum nobis nunc est. Contra c. 13, 2, ubi narratur quomodo factum sit ut magna pars militum tempore praeterito perierit, aoristo locus est: *τὰ δὲ πληρώματα διὰ τόδε ἐφθάρη κτλ.*

Plusquamperfecto is status qui perfecti themate

---

1) Qua voce jam Kruegerus usus erat in sua Griech. Sprachl. f. Schulen.

designatur tempore praeterito ponitur; cf. V 16, 1 [1]) ἐπειδὴ δὲ καὶ ἡ ἐν Ἀμφιπόλει ἧσσα τοῖς Ἀθηναίοις ἐγεγένητο καὶ ἐτεθνήκει Κλέων τε καὶ Βρασίδας quae verba sic interpretanda sunt: cum et Athenienses ea clade quam apud Amphipolin acceperant afflictarentur et Cleone Brasidaque mortuis acerrimi pacis dissuasores auctoritate sua jam uti non possent etc. Enuntiatum nostrum non facta memorat sed statum indicat qui tunc ex iis quae antea facta erant exstabat. Quod ad temporis igitur notionem attinet plusquamperfectum idem valet quod imperfectum, quo fit ut saepe juxta legantur plusquamperfectum et imperfectum, e. g. II 18, 2 ἡ γὰρ Οἰνόη ἐτετείχιστο καὶ αὐτῷ φρουρίῳ οἱ Ἀθηναῖοι ἐχρῶντο i. e. Oenoë enim urbs munita erat, in qua Athenienses praesidia collocabant etc. Omnino cavendum est ne Graecum plusqupfectum confundatur cum plusqupfecto Latino, quod, quatenus meram relationem temporalem, quae inter duas actiones praeteritas intercedit, significat, Graece sive aoristo sive imperfecto exprimitur; de qua re infra pluribus.

In hoc igitur libello de formis perfecticis verborum non agam nisi ubi utile videbitur demonstrare quid intersit inter formas praesenticas et aoristicas ab una parte et formas perfecticas ab altera parte.

Genera actionis quae themate praesentis et aoristi indicantur in universum recte distinxit Curtius et a plerisque viris doctis qui post eum temporum usum tractarunt definitio quam proposuit approbata est. Tamen cavendum est ne male intelligantur voces „dauernd" et „eintretend".

---

1) Loci a me laudati auctoris nomine non addito e Thucydide deprompti sunt.

Ipse Curtius haud satis perspicuam judicavit vocem „eintretend" ad designandam actionem aoristicam, quare eam vocem fusius explicavit in Explanationibus suis („Erläuterungen" p. 181 sqq.), ubi apparet Curtium voce „eintretende Handlung" complecti voluisse illa tria principalia aoristi genera, aoristum ingressivum, effectivum, constativum[1]), quae nomina quid sibi velint nunc videamus.

Aoristus ingressivus significat actionis initium, e. g. V 92 καὶ πῶς χρήσιμον ἂν ξυμβαίη ἡμῖν δουλεῦσαι, ὥσπερ καὶ ὑμῖν ἄρξαι; i. e. „servos fieri", „dominos fieri".

Huic aoristo oppositus est aoristus effectivus qui indicat finem, eventum actionis, e. g. IV 129, 4 κατὰ ἀτραπόν τινα τοῦ λόφου πειρώμενος προσβῆναι — οὐκ ἐδυνήθη βιάσασθαι i. e. „ut perrumperet ei non contigit". Cum praepositiones διά et κατά in verbis compositis plerumque significent actionem verbi usque ad finem absolutam, aoristi horum compositorum plerumque sunt effectivi, e. g. III 111, 4 διέφυγον ἐς τὴν Ἀγραίδα „confugerunt, perfugerunt"; I 105, 3 τὰ δ' ἄκρα τῆς Γερανείας κατέλαβον „occuparunt".[2])

Aoristo constativo is qui loquitur tantummodo actionem esse factam indicat, momenta actionis singularia audientibus non evolvit, quod si facere vult, imperfecto

1) Quam vocem quamquam Latino sermone repugnante, ut quam proxime ad terminos grammaticis hodie familiares accedam, usurpare fere cogor. Minus abhorreret a Latinitate, fateor, terminus „aoristus constitutivus" sive nuntiativus" (cf. locus Gellianus qui laudabitur infra), sed vereor ne ejusmodi voces lectores quosdam in errorem inducere possint.

2) De præpositionum vi perfectiva vid. Herbig l. l. p. 222—234; Brugm. Gr. Gr.³ § 542; Curtius Erläut. p. 176 f.; E. Purdie The perfective Aktionsart in Polybius, I. F. IX (1898) p. 63—153; H. Meltzer Vermeintliche Perfektivierung durch präpositionale Zusammensetzung im Griechischen, I. F. XII (1901) p. 319—372.

uti debet. Ei igitur qui loquitur vel ei qui scribit saepe licet alterutrum tempus eligere, utcunque libet. Quomodo autem in rerum gestarum narrationibus aoristus constativus et imperfectum narrativum differant, optime illustrat locus quidam Gellianus (N. A. X. 3, 11 sq.)[1], ubi Romanorum perfectum atque imperfectum inter se opponuntur. Gellius, conferens inter se dicendi genera duorum oratorum agentium de eo quod civis Romanus injuria virgis verberatus erat, haec dicit: „— Gracchus autem non querentis neque implorantis, sed nuntiantis vicem: palus, inquit, in foro destitutus est, vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Sed enim M. Cicero praeclare, cum diutina repraesentatione, non „caesus est" sed: caedebatur, inquit, virgis in foro Messanae civis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla vox illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur etc." Quod hic Gellius dicit de vi perfecti historici Latini, optime in aoristum constativum quoque quadrat: aor. constativus nuntiat rem factam[2]. Hoc aoristi genus ex omnibus aoristorum generibus longe usitatissimum est[3]. Exempli gratia affero I 54, 1 : οἱ μὲν

---

1) Locum primus indicavit Thierschius l. l.

2) In hoc libello Gellio auctore saepe voce nuntiandi utar pro eo quod Germanice dicitur „Konstatieren".

3) Qui factum sit ut in Attica dialecto, praecipue apud historicos, aoristi usus constativus prævaleat, cum contra apud Homerum usus perfectivus aoristi (ingress. effect.) ita abundet ut aor. constativus nisi perpaucis locis non inveniatur, bene explicavit Mutzbauer l. l. p. 20 sq. Cum in comitiis populi Atheniensis negotia publica agitarentur, magis attinebat „kurz und klar, scharf in das Ohr fallend die wichtigsten Punkte den Mitgliedern der Volksversammlung entgegen zu werfen" quam operam dare „epische(r) Breite und malerische(r) Darstellung der Sache, wie sie ein naives Zeitalter in seiner Freude an allen Einzelheiten der Erzählung liebt." E dictione comitiali ille aoristi constativi usus frequens apud historicos quoque magis magisque percrebuit. Cf. etiam E. Purdie l. l. p. 82.

Κορίνθιοι — τροπαῖον ἔστησαν· οἱ δὲ Κερκυραῖοι — τροπαῖον ἀντέστησαν. Plerumque non attinet actionis qualis est tropaei erectio, progressum gradatum evolvere, nuntiare sufficit; talibus igitur locis aor. constativus suum locum habet. Sed etiam ejusmodi facta, quae majoris sunt ponderis et plures actionis sive gradationes sive momenta varia complectuntur, scriptor, si ea momenta explicare atque evolvere non studet, simpliciter nuntiare potest aoristo, velut I 112, 4 ἐναυμάχησαν καὶ ἐπεζομάχησαν ἅμα; quia pugnae navalis pedestrisque tantummodo memorantur, aoristus adhibetur. Contra eorundem verborum, ubi actiones describuntur, imperfectum usurpatur, velut IV 14, 3 οἵ τε γὰρ Λακεδαιμόνιοι ὑπὸ προθυμίας καὶ ἐκπλήξεως, ὡς εἰπεῖν, ἄλλο οὐδὲν ἢ ἐκ γῆς ἐναυμάχουν, οἵ τε Ἀθηναῖοι κρατοῦντες καὶ βουλόμενοι τῇ παρούσῃ τύχῃ ὡς ἐπὶ πλεῖστον ἐπεξελθεῖν ἀπὸ νεῶν ἐπεζομάχουν. Idem aoristi usus occurrit, ubi aoristo ea, quae per longius temporis spatium gesta sunt, compresse memorantur, velut I 117, 1 καὶ τῆς θαλάσσης τῆς καθ' ἑαυτοὺς ἐκράτησαν ἡμέρας περὶ τέσσαρας καὶ δέκα καὶ ἐσεκομίσαντο καὶ ἐξεκομίσαντο ἃ ἐβούλοντο, quo loco utique pro duobus ultimis aoristis imperfecta (iterativa) exspectabamus, sed aoristum adhibet scriptor, quoniam facta, sive iterata sive aliquamdiu continuata, tamquam uno conspectu complectitur, quare jure ejusmodi aoristum complexivum dicere (adjectivi significatione paullum mutata) nobis videmur.

Hisce tribus aoristi generibus principalibus (ingr. effect. constat.) pertractatis, jam quaeritur: quae notio illis generibus communis sit? Porro estne aoristi significatio primaria, a qua illa tria genera derivari possunt? Ad quaestionem priorem facile responderi

poterit: aoristis omnibus communis est vis punctativa, qua voce uti mihi liceat pro eo quod Germanice dicitur „die punktuelle Bedeutung", „die punktuelle Aktion", „der Punktualbegriff" [1]; aoristis ingressivo et effectivo quasi unum tantummodo actionis punctum significatur: initium, finis. Aoristo autem constativo tota actio, quotcunque momenta continet, quasi in unum punctum contrahitur, „sie wurde wie mit éinem Blick vom Anfang bis zum Abschluss überschaut." [2]) Sunt autem, in quibus Meltzerus [3]), qui recusant, ne adhibeatur vox „punktuell" ad designandam aoristi notionem generalem, quippe quae vox falsae opinioni locum dare possit, si quis cogitet de brevi temporis momento, de puncto temporis proprio sensu; quamobrem illis viris doctis aptius videtur aoristi notionem communem indicare voce quae est vis perfectiva („die perfective Bedeutung"). Qua voce, quae actionem aoristicam praesenticarum formarum actioni durativae opponit, significatur aoristo in genere exprimi finem conditionis continuatae, scilicet aoristo effectivo finem ejus actionis quae ipso verbo continetur, aoristo autem ingressivo finem ejus conditionis ex qua actio verbi nata est. Secundum eos viros doctos etiam usus constativus aoristi ex hac vi perfectiva derivandus est.

Nunc transeamus ad alteram quaestionem: quae sit aoristi Graeci significatio primaria. Aliquid certi ad hanc quaestionem responderi posse non videtur. Cum enim in linguae Graecae monumentis litterariis inde ab

---

1) Cf. Brugm. Gr. Gr.[3] p. 474 sq.
2) Brugm. l. l. p. 476.
3) in commentatione laudata Zur Lehre von den Aktionen etc.

antiquissima aetate diversae aoristi formationes (aoristus sigmaticus ut ἔδειξα et aoristi secundi ut ἔδομεν, ἔφυγον, ἤγαγον [1]) simul in usu sint, omnes autem variae illae formationes omnes aoristi significationes admittant, cum ab altera parte verisimile sit tempore quo illae formae ortae sunt cuique suam significationem fuisse, sequitur nos dijudicare non posse quae in lingua Graeca, quatenus per monumenta litteraria nobis tradita est, aoristi fuerit significatio primaria [2]).

Putandum est eas significationes, quae singularum aoristi formationum eo tempore quo quaeque formatio orta est propriae fuerunt, paulatim ad omnes ceteras formationes esse translatas, ita ut ea linguae Græcae aetate, quam vetustissima monumenta litteraria nobis repraesentant, omnes jam aoristi formationes omnibus iisdemque significationibus äoristicis praeditae essent. [3])

Haec quoque quaestio, quae aoristi Indogermanici fuerit significatio, certa ratione solvi non poterit, quia in plerisque linguis Indogermanicis aoristus non superest. Nil nisi conjecturae de ea re proferri possunt, quarum ea, quae mihi quoque maxime probabilis videtur, est Streitbergii, qui putat aoristo Indogermanico ab origine inhaerere vim perfectivam (de qua supra diximus), ex ea autem natam esse vim constativam,

---

1) De variis modis quibus aoristi formati sunt bene agit Leo Meyer. Griechische Aoriste, ein Beitrag zur Geschichte des Tempus- und Modusgebrauchs im Griechischen (Berlin 1879).

2) Cf. Brugm. Gr. Gr.³ p. 11.

3) De ejusmodi significationum inter diversas formas mutua translatione, quae a viris doctis Germanicis „Ausgleichung" vocatur, cf. Hermann Paul Principien der Sprachgeschichte, passim.

quae praecipue in linguis Graeca et Iranica in usum frequentissimum venerit.[1])

Longe diversam opinionem amplexus Mutzbauerus in libro quem supra laudavi, censet aoristi Indogermanici significationem primitivam eam esse quam aoristus habet in lingua Indica vetustissima, nempe in ea carminum collectione quae Rigveda vocatur. Delbrueckius enim constituerat indicativum aoristi ibi tantummodo adhiberi ad referendum id quod modo factum est, cum tempus narrativum (i. e. id tempus, quo res jamdudum praeterito tempore gestae narrantur) sit imperfectum.[2]) Nunc Mutzbauerus sibi persuasit ex hoc inter aoristum et imperfectum discrimine temporali apud Graecos demum ortum esse usum aoristo et imperfecto designandi diversa genera actionis, cum Graeci, rationem temporalem, quae inter diversa facta intercedat, in narratione significare non curantes,[3]) cupiditate a natura insita res vivide et conspicue exprimendi atque effingendi in sermone quoque suo adjumenta quaesiverint ad aspectus actionis exprimendos. Quomodo autem eum temporum usum Graecum ex illo usu originario esse profectum Mutzbauerus sibi finxerit, legimus apud eum p. 14: „— Die Funktion des Aoristes,

---

1) PBr. B. XV p. 139—141.

2) Cf. Delbr. Vergl. Synt. II Kap. XVI § 3: „— In ersterer Hinsicht darf ich wohl auf meine altindische Tempuslehre (Syntaktische Forschungen von B. Delbrück und E. Windisch II, Halle 1876) hinweisen, worin die Sprache des Veda und der ältesten Prosa behandelt worden ist. Da die übrigen Modi des Aorists wenig Ausbeute gewähren, beschränkte ich mich auf den Indikativ und stellte fest, dass der Redende durch denselben etwas als eben geschehen bezeichnet. Dem gegenüber werde das Imperfektum gebraucht, um etwas Vergangenes zu erzählen, es sei das Tempus der Schilderung."

3) quod Mutzbauerus bene exemplis illustrat o. l. p. 5—10.

welcher ursprünglich das so eben Geschehene darstellte, musste damit eine neue werden. Aus dem Gebiete logischer Reflexion, wie sie der Zeitbegriff in sich trägt, trat der Aorist unter dem bestimmenden Einfluss der gestaltenden Fantasie des griechischen Volksgeistes in die Form der Anschauung über. Infolge dessen wurde die Handlung, welche logisch als eben geschehen erschien, unter dem Bilde des Punktes angeschaut. Im Gegensatze dazu erschien das Imperfektum, welches abgeschlossene, weiter zurückliegende Ereignisse darstellt, als eine Linie".[1]) Tum p. 16 sqq. exponitur, quomodo variae aoristi Graeci significationes e significatione primaria secundum Mutzbauerum derivandae sint.

Ex hypothesi Mutzbaueriana,[2]) sive est vera sive falsa, quod nos nunc non curamus, hoc utique lucramur (quamobrem eam hic fusius exposuimus), quod magis animum attendere nos cogit ad eum Graeci quoque aoristi indicativi usum quo designatur res modo facta. Jam Delbrueckius (Synt. Forsch. IV p. 109) in enumerandis variis aoristi significationibus hunc usum singulariter tractat: „Der Ind. Aoristi wird von dem gebraucht, was so eben eingetreten ist." Cujus usus apud Homerum tragicosque exempla laudant Mutzb. p. 16 sq. et Delbr. l. l.[3]) De me addere liceat:

---

1) Obiter monere velim virorum doctorum consuetudinem aoristicam actionem cum puncto geometrico, præsenticam cum linea comparandi incohatam esse a Curtio in libro c. t. Griechische Schulgrammatik (ed. quart. Prag. 1859) § 484, cf. Erläut. p. 184 sq.

2) quae jure, ut mihi videtur, impugnatur ab Herbigio l. l. p. 245 sqq.

3) Cf. etiam Brugm. Gr. Gr.[3] p. 490.

Soph. Ant. 1052 *ταύτης σὺ μέντοι τῆς νόσου* (i. e. *τοῦ μὴ φρονεῖν*) *πλήρης ἔφυς* i. e. ex iis quae modo dixisti te ipsum insanire apparuit; ib. 1085 sq. *τοιαῦτά σου — ὥστε τοξότης ἀφῆκα θυμῷ καρδίας τοξεύματα* i. e. quae modo dixi tamquam sagittas in animum tuum conjeci; ib. 1183 sq. *τῶν λόγων ἐπῃσθόμην πρὸς ἔξοδον στείχουσα* i. e. modo audivi. Quamquam autem hic usus fortasse ex usu constativo derivandus est, tamen ratione habita eorum quae modo exposui, utile judicavi e Thucydide quoque nonnullos locos quibus ita aoristum adhibitum inveni separatim tractare. Sic apud nostrum saepe aoristi occurrunt in initio orationum a legatis habitarum, quibus aoristis designant quo consilio venerint, velut IV 17, 1 *ἔπεμψαν ἡμᾶς Λακεδαιμόνιοι περὶ τῶν ἐν τῇ νήσῳ πράξοντας κτλ.*[1]) Etiam clarius illa aoristi vis dilucet II 60, 1, ubi Pericles initio orationis habitae in comitiis a se convocatis hoc dicit: *ἐκκλησίαν τούτου ἕνεκα ξυνήγαγον* i. e. „modo convocavi".

Restat ut loquar de ceteris aoristi usibus quos tractandos mihi sumpsi.

Nomine aoristi momentanei[2]) complexus sum nonnullos aoristos quibus significatur actionem exiguum tantummodo temporis spatium durasse, celeriter praeterisse. Quamquam hic quoque aoristus ad constativum pertinere dici potest, tamen, quia vis punctativa aoristi hic proprio sensu i. e. sensu temporali exprimitur, peculiare quoddam aoristi genus hic

---

1) cf. Steupii ann. ad VI 82, 1: „*ἀφικόμεθα*, der das eben eingetretene Verhältnis bezeichnende Aorist statt des Perfekts."

2) quo adjectivo usus sum auctore FORSSMANNO, qui in commentatione sua „De infinitivi temporum usu Thucydideo" (Studien zur griech. und lat. Gramm. herausgegeben von Georg Curtius, sechster Band 1873) passim actionem aoristicam vocat „actionem momentaneam".

adesse existimavi. Exempli gratia afferam locum VIII 95, 5 *ὀλίγον μέν τινα χρόνον ὅμως καὶ ἀντέσχον, ἔπειτα κτλ.*: aoristo significatur paululum tantum homines restitisse, statim igitur a scriptore ad aliud quid memorandum transitum iri [1]).

Tum nonnullos locos e Thucydide contuli, quibus aoristo indicatur „das so eben Eingetretene" non eo tempore quo is loquitur qui aoristum adhibet, sed quovis tempore praeterito sive futuro quod is qui loquitur animo suo repraesentat. Brugmannus [2]) quoque, auctore Delbrueckio (Vergl. Synt. II p. 284 sqq.), separatim tractat „die Fälle, wo der Zeitpunkt der Aoristhandlung von einer angenommenen Gegenwart aus bestimmt ist". Huc pertinet inter alios locos hic locus Homericus: Δ 160 sq. *εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσε, ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτεισαν* „und damit (i. e. cum Trojanorum male factum a Jove vindicatum erit) haben sie dann gebüsst". Apud Herodotum aliquot locis aoristus sic occurrit, velut I 194 *ἐπεὰν ὦν ἀπίκωνται πλέοντες ἐς τὴν Βαβυλῶνα καὶ διαθέωνται τὸν φόρτον, νομέας μὲν τοῦ πλοίου καὶ τὴν καλάμην πᾶσαν ἀπ' ὦν ἐκήρυξαν* („haben sie denn gleich an die Meistbietenden losgeschlagen") *τὰς δὲ διφθέρας ἐπισάξαντες ἐπὶ τοὺς ὄνους ἀπελαύνουσι ἐς τοὺς Ἀρμενίους*, ex quo exemplo simul apparet ejusmodi locis aoristum et praesens vices alternare posse. Reliqui loci Herodotei qui huc pertinent laudati sunt a Steinio ad l. l. Apud Thucydidem quoque aoristus sic adhibetur, velut II 42, 3 *καὶ γὰρ τοῖς τἆλλα χείροσι δίκαιον τὴν ἐς τοὺς πολέμους ὑπὲρ τῆς πατρίδος*

---

1) cf. contra IV 44, 1 *χρόνον μὲν οὖν πολὺν ἀντεῖχον οὐκ ἐνδιδόντες ἀλλήλοις· ἔπειτα κτλ.*

2) Gr. Gr.³ p. 490.

ἀνδραγαθίαν προτίθεσθαι· ἀγαθῷ γὰρ κακὸν ἀφανίσαντες κοινῶς μᾶλλον ὠφέλησαν ἢ ἐκ τῶν ἰδίων ἔβλαψαν i. e. „nam ejusmodi homines eo quod fortiter se gesserunt plus patriae profuerunt quam factis privatis nocuerunt." Pericles aoristis ὠφέλησαν et ἔβλαψαν non solum respicit tempus quo loquitur sed quodvis tempus sive praeteritum sive futurum, quo quis pro patria dimicat. Eodem modo aoristum interpretandum censeo paucis locis, quibus in sententiis occurrit, qui aoristus tum gnomicus vocatur, velut III 45, 6 καὶ μετὰ πάντων ἕκαστος ἀλογίστως ἐπὶ πλέον τι αὑτὸν ἐδόξασεν i. e. si quis inter plures versatur, eo ipso jam meliorem opinionem de se sibi conformavit. Hic non tempus praeteritum respici apparet ex praesente quod in eodem enuntiato praecedit: προάγει, ut etiam loco supra laudato Her. I 194 juxta inveniuntur aoristus et praesens nec non compluribus e locis a Steinio in annotatione ad eum locum laudatis [1]).

Cum ejusmodi aoristis non sunt confundendi ii aoristi quibus ea quae identidem tempore praeterito usu venerunt complexive comprehenduntur, quo documento homines qui nunc vivunt moneantur ut quid faciant sive ne quid faciant. Ii aoristi proprio nomine empirici dici possunt, valent autem prorsus idem quod aoristi complexivi (de quibus supra). Iis locis plerumque, apud Thucydidem semper, aoristis

---

1) Herbigius (l. l. p. 249—261) aoristos gnomicum et comparativum (i. e. ille aoristus qui occurrit in comparationibus epicis) habet pro reliquiis ejus ætatis, qua verbi tempora adhuc adhibita sint „zeitstufenlos", qua igitur indicativus quoque aoristi non tempus praeteritum significaverit sed nihil nisi actionem perfectivam; cf. M. Bréal Les commencements du verbe, Mém. de la soc. de lingu. de Paris XI (1900) p. 278 sq.

particulae quaedam adjunguntur, quibus haud ambigue facta ad tempus praeteritum referuntur, quales sunt ἤδη, πολλάκις similesque voces; cf. II 11, 4 πολλάκις τὸ ἔλασσον πλῆθος δεδιὸς ἄμεινον ἠμύνατο τοὺς πλέονας.

Ad extremum mentio est facienda ejus aoristi usus quo vim habet plusquamperfecti Latini. Ut jam supra diximus, lingua Graeca rationem temporalem, quae inter diversa facta intercedit, significare non curat, contra ac lingua Latina, in qua duo tempora, plusquamperfectum et futurum exactum, ad id ipsum destinata sunt. Sic in loco II 2, 1 sq. Θηβαίων ἄνδρες — ἐσῆλθον περὶ πρῶτον ὕπνον ξὺν ὅπλοις ἐς Πλάταιαν —. ἐπηγάγοντο δὲ καὶ ἀνέῳξαν τὰς πύλας Πλαταιῶν ἄνδρες κτλ. prorsus nullo modo indicatum est actiones arcessendi (ἐπηγάγοντο) et patefaciendi (ἀνέῳξαν) praecessisse actionem intrandi (ἐσῆλθον), quod lectori e contextu colligendum relinquitur. Saepe conjunctione temporali (velut ἐπειδή) adjecta vel adverbio temporali adjecto (velut πρότερον) significatur alteram utram actionem alteri antecessisse. In sermone Latino hujusmodi locis omnino fieri non potest quin plusquamperfectum adhibeatur. Sic in enuntiatis supra laudatis ἐσῆλθον vertendum est „intraverunt" (perf. histor.), ἐπηγάγοντο autem et ἀνέῳξαν „arcessiverant", „patefecerant" (plusqupf.). Eadem ratio est imperfecti V 16, 1 ἐπειδὴ δὲ — ἐτεθνήκει Κλέων τε καὶ Βρασίδας, οἵπερ ἀμφοτέρωθεν μάλιστα ἠναντιοῦντο τῇ εἰρήνῃ i. e. „qui summa ope semper adversati erant quominus pax fieret."

Quamquam autem exspectamus hujusmodi locis imperfectum et aoristum aeque adhiberi et tum quo-

que alterutrum tempus eligi pro genere actionis quod sensu requiritur, tamen multo saepius ad designandam actionem quandam, quae tempore alteram actionem, juxta memoratam, praecessit, aoristus quam imperfectum adhibetur. Cujus rei causa haec est quod ea actio, quae alteram actionem, de qua nunc data opera agitur, praecessisse memoratur, plerumque a scriptore et lectore minus attenditur quam haec, ideoque formae punctativae i. e. aoristo hic locus est. Quo fit ut participium aoristi fere semper actionem indicet, quae actionem verbi primarii praecessisse fingitur. Eodem pertinet quod in iis enuntiatis secundariis, quae meram praecessionem temporalem significant, plerumque aoristi leguntur.[1]) Nihilominus etiam ibi, ubi Latine plusqupfectum adhibendum foret, *imperfectum* usurpatur, cum scriptor *actionem praesenticam* dilucide exprimere vult, cujus rei exemplum vidimus in loco laudato V 16, 1 (ἠναντιοῦντο). Aliquot locos, quibus sic aoristus sive imperfectum a Thucydide usurpata sunt, separatim tractabo.

De imperfecti[2]) et aoristi indicativi in enuntiatis hypotheticis usu non seorsum disseram. Satis habeo in lectoris animum revocare ea quae de hac re praeclare exposuit Brugmannus, Gr. Gr.[3] §§ 565—567. Apud Thucydidem in genere eaedem leges valent quae apud ceteros scriptores Atticos: cum in protasi irreali tum in apodosi irreali imperfectum, si tempus praesens, aoristus, si tempus praeteritum

---

1) quam rem data opera tractavit in sua dissertatione inaugurali mulier doctissima Winifred Warren A study of conjunctional temporal clauses in Thukydides (Berlin 1897).

2) Ubicunque imperfectum dico, modo non indicato, imperfecti *indicativum* volo.

spectatur, adhibetur. Loci ab hoc usu abhorrentes laudati sunt a Steupio ad I 11, 2 εἰ — τὸν πόλεμον διέφερον. Hujusmodi quoque locis, aeque ac multis locis quibus plqpfti Latini notionem aoristo exprimi expectamus (cf. p. 21 sq.), imperfectum insolenter pro aoristo adhibetur, cum scriptor actionem praesenticam clare vult effingere.[1])

Genus actionis quod verbi formis praesenticis exprimitur Curtius vocavit „die dauernde Handlung". Quod nomen in universum satis recte se habet; revera omnes significationes omnium formarum quae a themate praesentis derivantur quodammodo nomine actionis durativae comprehendi possunt. Tamen cavendum est ne quis subsistat in ejus nominis sensu proprio i. e. temporali; nam duratio temporalis una tantum est e variis notionibus tam praesentis quam imperfecti quod nos nunc praesertim curamus; sicut aoristo quoque actionem punctativam exprimi ita tantummodo jure dicitur, si quis ejus nominis sensum proprium i. e. temporalem unam tantum e multis aoristi significationibus praebere perspexerit. Jam v. d. C. W. E. Miller in commentatione c. t. „The imperfect and the aorist in Greek" (A. J. P. XVI, 1895) p. 143 dixit: „The term dauernd is utterly inadequate to express the various uses of the imperfect etc". Id quod omnibus imperfectis (et ceteris formis praesenticis) aeque significatur est actionis παράτασις quam antiqui dicebant i. e. extensio[2]),

1) Idem valere apud Herodotum apparet ex iis quae hac de re disputavit A. Zander De imperfecti atque aoristi apud Herodotum usu; diss. inaug. Halis Saxonum 1882, p. 22—24.

2) qua voce ad vim præsenticarum formarum designandam bene usa est Winifred Warren l. l. p. 3: „An action may be regarded as extensive

unde imperfectum ab iis vocabatur χρόνος παρατατικός, quod nomen Scholiasta ad Dionysii Thracis artem grammaticam sic interpretatur [1]): παρατατικός ἐστι καθ' ὃν ὁ μὲν χρόνος παρῴχηται, τὸ δὲ ἔργον μετὰ παρατάσεως πέπρακται, οἷον ἔτυπτον, ἔπειθον, ἐπαίδευον. [2]) Quamquam autem praesentis thema multis iisque diversissimis modis formatur suntque porro themata praesentis et aoristi quorum rationes morphologicae prorsus inter se similes sunt (conferantur e. g. formae ἔφην, ἔγραφον, ἔγλυφον, ἔγεμον, quae imperfecta, cum formis simillimis ἔστην, ἔτραπον, ἔφυγον, ἐγενόμην quae aoristi sunt [3]), tamen, quod ad syntacticum usum attinet, omnes formae praesenticae utcunque formatae hac re congruunt, quod animum audientis sive lectoris attendunt ad diversa actionis momenta, quae tamquam linea evolvuntur, dum omni vi perfectiva prorsus carent; exprimunt actionem cursivam [4]), paratatīcam i. e. extensivam, denique actionem infectam. Imperfecto igitur actio infecta ad tempus praeteritum refertur. [5]) Ex iis quae praecedunt varii imperfecti usus facile derivari possunt.

---

or as aoristic. The present stem shows an action extended, the aorist an action concentrated".

1) Bekkeri Anecd. p. 889, 21 sqq.

2) Observandum est jam hic discerni χρόνον (Zeitstufe) ab ἔργῳ (Aktion).

3) Cf. Brugm. Gr. Gr. [3] p. 268.

4) qua voce usus sum auctoribus Delbrueckio et Brugmanno, qui (l. l. p. 472) vocem „Kursive Aktion" sic interpretatur: „Die Handlung wird verlaufend vorgestellt ohne Rücksicht auf einzelne Akte innerhalb derselben und so, dass Anfangs- und Endpunkt aus dem Gesichtskreis bleiben, wie z. B. bei nhd. tragen, steigen. (Bisher meist durative oder imperfektive Aktionsart genannt.)"

5) Tantummodo imperfectum ἔφην duo actionis genera (actionem aoristicam et actionem præsenticam) exprimere posse, suo loco (cum de verbo λέγειν et aliis verbis dicendi agam, § 21) demonstrare conabor.

Atque primum imperfectum adhibetur ad actionem durantem exprimendam, quod imperfectum suo nomine imperfectum durativum nominabimus. Exempli gratia affero III 52, 3 τοὺς Πλαταιᾶς ἔτρεφον οἱ Πελοποννήσιοι ἡμέρας τινάς. Hic imperfecti usus frequentissimus est. Sic multa verba inveniuntur quorum ipsa significatione durativa fit, ut multo saepius imperfecta eorum quam aoristi occurrant, velut verbi παρασκευάζεσθαι impf. 72[1]), ind. aor. tantum 3 occurrit. Sic quoque mere durativa sunt imperfecta quae occurrunt in iis enuntiatis secundariis, quorum praedicatum actionem indicat quae omne tempus durare fingitur per quod actio enuntiati primarii geritur, velut in enuntiatis secundariis quae incipiunt a conjunctionibus temporalibus ἕως et μέχρι, cum significant „quamdiu". [2])

Cum hac imperfecti significatione mere durativa arte cohaeret significatio iterativa. Cum in sermone Graeco elementa morphologica vi iterativa praedita saepius quidem sed non constanter ad actionem iteratam designandam adhiberentur, [3]) syntactice actionem tempore praeterito iteratam Graeci exprimebant imperfecto; quod facile propter vim durativam imperfecti fieri potuit: omnis enim actio durativa quodammodo constat e singulis momentis saepius repetitis. [4]) Imperfecti iterativi exemplum est IV 35, 2 ὅσοι μὲν ὑποχωροῦντες ἐγκατελαμβάνοντο, ἀπέθνησκον

1) In hoc libello sæpius, quod hic quoque feci, numeros Arabicos adhibebo ad designanda adverbia multiplicativa.

2) Cf. Warren l. l. p. 70 sq.

3) de qua re vid. Herbigius l. l. p. 215—217.

4) cf. ib. p. 219.

i. e. „quotiescunque quis se recipiens intercipiebatur, necabatur".

Cum imperfecto iterativo rursus cohaeret imperfectum descriptivum, quo adhibendo aeque ac iterativo scriptor seriem momentorum significare vult. Hoc tamen interest inter hoc ac impf. durativum iterativumque, quod imperfecto descriptivo scriptor neque continuationem actionis neque iterationem per se indicat sed id agit ut actionem depingat, animo lectoris repraesentet; cf. descriptio classis Peloponnesiae turbatae II 84, 3: *ὡς δὲ τό τε πνεῦμα κατῄει καὶ αἱ νῆες — ἐταράσσοντο, καὶ ναῦς τε νηὶ προσέπιπτε καὶ τοῖς κοντοῖς διεωθοῦντο, βοῇ τε χρώμενοι — οὐδὲν κατήκουον, καὶ — ἀπειθεστέρας τὰς ναῦς παρεῖχον, τότε δὴ κτλ.*; ex quo loco simul apparet non semper rigide imperf. descriptivum discerni posse a durativo sive iterativo; sic nostro loco imperfecta *προσέπιπτε* et *διεωθοῦντο* aequo jure iterativa et descriptiva dicas; praeterea ea quae depinguntur, aliquamdiu durent necesse est; saepissime igitur ambigi poterit, descriptivumne an durativum an iterativum imperfectum quoddam dici oporteat.

Incohativum quoque quod dicitur imperfectum proprie nil est nisi durativum (sive descr.). Incohativum autem imperfectum dicimus, cum e contextu apparet non modo actionis progressum sed etiam initium imperfecto simul contineri, velut V 65, 4 *καὶ ἀφικόμενος πρὸς τὴν Τεγεᾶτιν τὸ ὕδωρ ἐξέτρεπεν ἐς τὴν Μαντινικὴν* i. e. cum in agrum Tegeaticum venisset, coepit aquam derivare et aliquamdiu hoc facere perrexit. Contra ib. § 5 *καὶ ὁ μὲν μείνας αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἐξέτρεπεν* imperfectum mere durativum est;

„occupatus erat in aqua derivanda". Imperfectum ἐξέτρεπεν quod legitur § 4 per se nil nisi actionem durativam derivandi exprimit, aeque ac impf. ἐξέτρ. quod occurrit § 5. E contextu autem apparet priore imperfecto initium quoque actionis comprehendi, quod imperfectum breviter dictum est pro longiore enuntiato: ἤρξατο ἐκτρέπειν καὶ διετέλει (τινὰ χρόνον) ἐκτρέπων. Idem valet in omnibus imperfectis incohativis. Cavendum igitur est, ne impf. incohativum et aor. ingressivus idem significare putentur. Hic nil nisi ingressum actionis indicat, velut ἦρξε „rex factus est", quo aoristo regnandi per quoddam tempus continuatio omnino non exprimitur; quam si quis eadem opera significare vult, impf. incohativo uti debet. Per se intelligitur omnibus locis quibus imperfectum occurrit adjecto adverbio εὐθύς, imperfectum esse incohativum, velut V 39, 3 καὶ τὸ Πάνακτον εὐθὺς καθῃρεῖτο i. e. statim Panactum complanare coeperunt (et aliquamdiu perrexerunt).

Cum imperfecto in genere significetur aliquem praeterito tempore in aliqua re agenda occupatum fuisse, de exitu autem sive eventu actionis nil praedicetur, imperfectum etiam adhiberi potest ad exprimenda conamina quibus quis temptat perficere aliquid, quae conamina prospere successerint necne imperfecto non indicatur. Hujusmodi imperfecta conativa dicimus, quorum exemplum est IV 91 Παγώνδας — βουλόμενος τὴν μάχην ποιῆσαι — ἔπειθε τοὺς Βοιωτοὺς ἰέναι ἐπὶ τοὺς Ἀθηναίους καὶ τὸν ἀγῶνα ποιεῖσθαι, λέγων τοιάδε i. e. cum vellet proelium committere, persuadere conabatur Boeotis ut impetum facerent in Athenienses. Contra post orationem relatam hoc

conamen prospere successisse aoristo significatur (c. 93, 1): τοιαῦτα ὁ Παγώνδας τοῖς Βοιωτοῖς παραινέσας ἔπεισεν ἰέναι ἐπὶ τοὺς Ἀθηναίους i. e. persuasit. Ad idem imperfecti genus pertinere mihi videntur ea imperfecta quibus significatur in eo fuisse ut aliquid fieret, quod factum sit necne imperfecto non exprimitur, velut VII 71, 7 διαφθαρεισῶν γὰρ τῶν νεῶν τοῖς Λακεδαιμονίοις προσαπώλλυντο αὐτοῖς καὶ οἱ ἐν τῇ νήσῳ ἄνδρες διαβεβηκότες i. e. etiam ii qui in insula inclusi erant perituri fuerant.

Nunc exponam tria imperfecti genera, quae, aeque ac ea quae jam tractavimus, ex imperfecti vi durativa derivari possunt, quorum tamen usum tum demum clare perspiciemus, cum diligenter nobiscum reputaverimus, illam vim imperfecti paratatic am proprie non actionem verbi sed animum auditoris παρατείνειν, i. e. non eo significari adeo actionis continuae spatium quam requiri lectoris attentionem continuatam. Cum igitur scriptor imperfectum adhibet, eo monet lectorem, ut animo aliquamdiu moretur in verbi actione; id quod recte GILDERSLEEVIUS, cum de imperfecti vi durativa agit, sic exprimit [1]: „— the seat of the duration (has to be) put where it belongs, in the eye of the beholder, in the heart of the sympathizer, and not in the action itself".

Hoc cum neglexissent multi viri docti erraverunt, quod exempli gratia affero, in explicando usu frequentissimo imperfecti verbi κελεύειν, qui sane mirandus est; simplex enim jussum quippe quod momentaneum

---

1) A. J. P. XXIII (1902) p. 251.

quoddam sit, aoristo exprimi exspectamus. Nunc viri docti illo imperfecto significari volunt actionem jubendi, nisi jussum fiat, non esse absolutam; sic F. Blassius in praeclara sua de aoristi et imperfecti usu commentatione [1]) dicit: „— wenn die Aufforderung auf Schwierigkeiten bei den Andern stösst, die dann weiter berichtet werden, steht das Imperfektum, indem das κελεύειν unvollständig bleibt". Hujuscemodi interpretatio imperfecti usum non satis accurate explicare mihi videtur: ipsa enim actio jubendi per se absoluta est, sive ii qui jubentur parent sive non parent. Mea autem sententia imperfecto verbi κελεύειν lector monetur, ut animo repraesentet eum qui jubet occupatum in jubendo, exspectantem igitur fiatne jussum suum necne. Imperfecto igitur tum locus est, cum scriptor significare vult jusso non sic obtemperatum esse, de jussi exsecutione sive neglectione a se adhuc dictum iri. Fateor, quod ad usum attinet, meam explicationem eodem redire quo Blassii aliorumque; per se autem rectius se habere puto. Hujusmodi igitur imperfecta, i. e. imperfecta verborum κελεύειν, πρεσβεύεσθαι, αἰτεῖν iisque similium quae exspectationem jubentis, legantis etc. exprimunt exspectativa voco.

Alterum imperfecti genus, in quo vis paratatica clare elucet, est id imperfectum quod dico petitivum. Imperfectum volo eorum verborum quae significationem praebent aliquid petendi, velut verborum ἐπιέναι, ἀντεπιέναι, ἐπιπλεῖν (cum classe adversus hostem navigare) iisque similium. Sub idem genus

---

1) Rh. M. N. F. 44 (1889) p. 406—430.

cadunt verba accusandi, velut ἐγκαλεῖν, αἰτιᾶσθαι, quibus aeque petitio, sed sensu translato, significatur. His imperfectis lector monetur, ut tamdiu actionem petendi animo attendat, dum de eventu petitionis certior fiat.

Tertium quod huc pertinet genus imperfecti iis locis occurrit, quibus imperfectum, ut ita dicam, mere paratatice usurpatum est, i. e. quando imperfecto animus lectoris non ad ipsam actionem attenditur, sed hoc tantummodo lector monetur, antequam ad aliud quid commemorandum transeatur, adhuc aliquid, quod quodammodo cum verbi actione cohaereat, memoratum iri. Exempli gratia affero VIII 85, 1: ὁ δὲ Ἀστύοχος ἀπέπλει; post longiorem digressionem, qua res narrantur quae ad ipsam actionem τοῦ ἀποπλεῖν non pertinent sed laxius cum ea cohaerent, sequitur (§ 4): ὁ μέν οὖν Ἀστύοχος καὶ οἱ Μιλήσιοι — ἀπέπλευσαν ἐς τὴν Λακεδαίμονα. Imperfectum et aoristus (ἀπέπλει — ἀπέπλευσαν) quod ad ipsam actionem τοῦ ἀποπλεῖν attinet, prorsus idem significant; imperfecto autem significatur narrationem de ea re quae tractatur non ita esse absolutam, ut jam ad aliam rem scriptori transire liceat. Hujusmodi igitur imperfectum attentivum voco, i. e. imperfectum quo nihil nisi animus lectoris attenditur ad eam rem quae tractatur, non ad ipsam verbi actionem.

Peculiaris imperfecti usus est, ubi legitur cum negatione conjunctum ejusmodi locis quibus aoristum exspectamus, velut I 65, 1 ὡς δ' οὐκ ἔπειθε — ἔκπλουν ποιεῖται: cum hic aliquid absolutum memoretur („hoc cum persuadere non potuisset"), aoristum

requirimus, eo magis quod imperfectum ἔπειθε vulgo vim conativam habet (de quare vid. supra), nostro autem loco non id quod est „persuadere non conabatur" sed „non persuasit" contextu requiritur, ergo οὐκ ἔπεισεν. Recta explicatio elocutionis οὐκ ἔπειθεν, quae praeter locum laudatum etiam aliquot aliis locis occurrit, haec videtur: hoc imperfecto usus scriptor non tantopere eventum (persuadendi conatum irritum esse factum) significat quam ipsos conatus frustra adhibitos. Latine Thucydidis verba ideo sic reddiderim: „Sed cum ejus suadendi conamina irrita evasissent." Suadendi eventus (τὸ πεῖσαι) proprie imperfecto non inest, sed cogitatione est supplendus. Hoc etiam v. c. A. W. AHLBERG [1]) voluisse videtur, cum paulo antiquius dixit verba οὐκ ἔπειθε per breviloquentiam dicta esse pro eo quod est ἔπειθεν ἀλλ' οὐκ ἔπεισεν [2]). Cognatum est huic imperfecti usui id quod legitur IV 110, 1 ὡς δ' οὐκ ἐσήκουον. Hic quoque imperfecto significatur per quoddam tempus esse restitum conaminibus quibus quis usus est ut sibi pareretur. In universum igitur dici potest imperfecto negatione adjuncta significari repugnationem per quoddam tempus continûatam contra conamina quibus quis ad consilium suum assequendum utitur, quam Gildersleevius l. l. dixit „resistance to pressure." Exempla aliquot Thucydidea hujus imperfecti usus separatim tractare utile judicavi.

---

1) in commentatione „Några anmärkningar till imperfektets och aoristens syntax hos Thukydides", quae legitur in diario Svedico Från filologiska föreningen i Lund, språkliga uppsatser II (Lund 1902), p. 21.

2) Brugmannus (Gr. Gr.[3] § 544 Anm.) et Meltzerus (I. F. XVII p. 219), qui et ipsi de hac quæstione disputant, explicatione fere abstinent.

Tum contuli nonnullos locos quibus imperfectum et aoristus vices alternant et exposui qua ratione inductus scriptor in eodem narrationis tenore tempora variaverit. Sic saepe primum imperfecto actio sive conditio generalis describitur, deinde aoristo casus peculiaris nuntiatur, velut III 96, 3 ἐπεβοήθουν πάντες, ὥστε καὶ οἱ ἔσχατοι Ὀφιονέων — ἐβοήθησαν: imperfecto concursus auxiliorum qui undique fit describitur, aoristo etiam extremos Aetolorum inter ea auxilia fuisse nuntiatur.

In ulteriore hujus libelli parte egi de quibusdam verbis et verborum generibus quae, quod attinet ad praesenticarum sive aoristicarum eorum formarum apud Thucydidem usum, longiore disquisitione digna mihi videbantur, scilicet de verbis ποιεῖσθαι, ἔχειν, ἄγειν cum nomine ita conjunctis ut verbi simplicis significatio ex ea conjunctione evadat; de verbo λέγειν et aliis verbis simili significatione praeditis; de verbis τελευτᾶν, ἄρχειν, ἄρχεσθαι; de verbis νικᾶν, κρατεῖν, ἡσσᾶσθαι, ἀδικεῖν; de verbis quae motum indicant: ἰέναι, πέμπειν, φεύγειν e. s.

Tum profecti ab omnibus iis quae disquisitio nostra docuerat, disputavimus de quibusdam locis Thucydideis quibus alii codices imperfectum, alii aoristum exhibent, ut constitueremus utra lectio utri praeferenda esset. Quantum codicum auctoritas valeat disputationis fortasse eventus satis docebit. Nam ut in dubia re boni codicis lectio litem dirimere potest, ita anteponenda tamen erit semper librorum fidei ea doctrina quae ex accurata temporum observatione nascitur. Animadvertisse mihi videor in hujusmodi quoque quaestionibus Classe-

NUM et STEUPIUM[1]) codicis Vaticani (B), HUDIUM[2]) autem Laurentiani (C) amori nimis indulsisse. Unice recta ratio est ex iis legibus, quae locis certis in imperfecti et aoristi usu valere deprehenduntur, dubiis quoque locis alterutrum tempus eligere.

Ad extremum de iis verborum formis, quae per se sunt dubiae sintne imperfecti an aoristi loco adhibitae (velut ἔκτεινε), contextus ratione habita constituere conatus sum quomodo singulis locis accipiendae sint.

Antequam autem transeo ad varios imperfecti et aoristi usus Thucydideos separatim tractandos, monendum mihi est me, quamquam in hoc capite ordine disputationis inductus primum varia aoristi genera, deinde imperfecti recensui, tamen in iis quae sequuntur primum de imperfectis, deinde de aoristis esse dicturum, secundum omnium grammaticorum consuetudinem aoristicas post praesenticas formas tractantium. In Thucydide hoc quoque accedit quod apud eum imperfecta numero superant aoristos. Auctor enim est v. d. C. W. E. MILLER[3]) apud nostrum imperfectum 4268, aoristi autem indicativum 3910 occurrere; qui numeri sintne ad amussim necne parum refert.

Porro monere velim me non omnes locos, quibus imperfectum et aoristus inveniuntur, laudasse,

---

1) Thukydides erklärt von J. CLASSEN (Berlin, Weidmannsche Buchhandlung), cujus operis majorem partem (lib. I—IV et VI) recentiore editione procuravit a v. d. J. STEUP.

2) Thucydidis Historiae ad optimos codices denuo ab ipso collatos recensuit CAROLUS HUDE (lib. I—IV 1898, lib. V—VIII 1901; Lipsiæ apud Teubnerum), quae editio apparatu locupletissimo ornata est.

3) The Imperfect and the Aorist in Greek (A. J. P. XVI, 1895) p. 142.

quod improbi laboris nec non supervacaneum fuerit.[1]) Satis habui variorum aoristi et imperfecti generum satis multa eaque clara exempla referre.[2]) Eorum autem verborum, quorum imperfecta et aoristos uno tenore pertractavi, omnes locos contuli, ut ex iis certa quaedam in usu Thucydideo discrimina elicerem. Quamquam autem imprimis imperfecti et aoristi indicativos tractavi, tamen interdum alias quoque praesenticas sive aoristicas formas adhibui, quibus cujusdam verbi praesenticam sive aoristicam significationem luculentius illustrarem.

Ad extremum monendum mihi est natura ejus materiae quam hoc libello tractandam mihi sumpsi evenisse, ut saepe exemplo imperfecti quendam usum illustranti locum ejusdem verbi aoristum continentem, itemque aoristi exemplo saepe ejusdem verbi imperfectum statim opposuerim, quotiescunque haec ratio ad horum temporum in quodam verbo discrimen enucleandum apta videbatur.

---

1) Qui omnes locos cujusdam verbi conferre volet, facile inveniet in Indice Thucydideo confecto a v. d. M. H. N. von Essen (Berolini apud Weidmannos 1887); quod opus in hoc libello conficiendo semper mihi præsto fuisse nec non Lexicon Thucydideum confectum a v. c. E. A. Bétant (Genevæ 1843—47) nemo non intelligit.

2) ut Fr. Hultschius quoque in uberrimo et accuratissimo opere „Die erzählenden Zeitformen bei Polybios" (Abhandl. d. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. Band XIII p. 1—210; 347—468; Band XIV p. 1—100) nequaquam omnes locos Polybianos tractavit.

CAPUT ALTERUM.

DE IMPERFECTI ET AORISTI QUEM IN THUCYDIDE DEPREHENDIMUS USU.

A. *De variis modis quibus imperfectum adhibetur.*

§ 1. De imperfecto durativo.[1])

Persaepe imperfectum durativum adhibetur ad indicandas actiones sive conditiones quae per omne narrationis tempus durare finguntur, velut cum in expeditione quadam enarranda adicitur quis fuerit expeditionis sive agminis dux; cf. I 45, 2 ἐστρατήγει δὲ αὐτῶν (item II 26, 1); II 19, 1 ἡγεῖτο δέ; 22, 3 ἡγοῦντο δὲ αὐτῶν; 23, 2 ἐστρατήγει δέ; 33, 1 ἦρχον δὲ τῆς στρατείας; III 76, 1 ἦρχε δὲ αὐτῶν Ἀλκίδας καὶ Βρασίδας αὐτῷ ξύμβουλος ἐπέπλει i. e. in classe aderat; qua ratione verbi ἐπιπλεῖν imperfectum etiam usurpatur II 66, 2 ἐπέπλεον δὲ Λακεδαιμονίων χίλιοι ὁπλῖται καὶ Κνῆμος Σπαρτιάτης ναύαρχος; IV 11, 2 ναύαρχος δὲ αὐτῶν ἐπέπλει κτλ.; VIII 39, 1 καὶ ἄρχων ἐπέπλει αὐτῶν κτλ. (cum hac verbi ἐπιπλεῖν significatione non est confundenda ea quae est „cum classe adversus hostem navigare" de qua cf. infra § 7).

Saepe quoque impf. durativum in parenthesi positum

1) Cf. supra p. 25.

occurrit, quo designetur aliquid quod simul cum facto primario geritur, velut III 20, 1 ἔτι γὰρ ἐπολιορκοῦντο; 50, 1 ἦσαν δὲ ὀλίγῳ πλείους χιλίων (contra aor. ἐγένοντο numero adjecto indicat hunc numerum summam efficere numerorum minorum, cujus aoristi exempla afferentur infra § 11); VI 101, 5 ἦσαν γὰρ καὶ τῶν ἱππέων αὐτοῖς οἱ πολλοὶ ἐνταῦθα; VII 31, 5 ξυνῆρχε γὰρ ἤδη Δημοσθένει.

(Aoristo autem in parenthesi posito plerumque indicantur facta quae facta primaria praecesserunt velut V 48, 2 οὐ ξυνώμοσαν „ad societatem non accesserant".)

Nunc transeo ad ea verba et verborum genera quorum significatione durativa fit, ut majore numero praesenticae quam aoristicae eorum formae inveniantur, sive aoristicae formae omnino non occurrant. In his verbis tractandis facere non possum quin una de aoristicis eorum formis, quae apud nostrum occurrunt, agam.

Huc pertinent imprimis ea verba quibus ipsis jam propria quaedam est notio permanendi: ἡσυχάζειν, μένειν, οἰκεῖν, ὁρμεῖν.

Verbi ἡσυχάζειν permultae formae praesenticae, in quibus multa imperfecta, occurrunt cum significatione „quietum se tenere". Imperfectum saepe incohativum est, velut IV 124, 3 οἱ δὲ λοιποὶ διαφυγόντες πρὸς τὰ μετέωρα ἡσύχαζον i. e. conquieverunt et aliquamdiu in quiete permanserunt.

Aoristicae formae raro inveniuntur. Indicativus aoristi vim ingressivam habet tantummodo VIII 92, 8 μόλις δὲ τῶν πρεσβυτέρων διακωλυόντων ἡσύχασαν i. e. conquieverunt, ad quietem redacti sunt; partici-

pium quoque aoristi ubicunque occurrit (I 12, 1 et 4; III 74, 3; IV 71, 1) vi ingressiva praeditum est. Indicativi aoristi qui leguntur IV 56, 1; V 50, 4; VI 44, 3; VIII 24, 6 sunt complexivi.

Verbi μένειν plures praesenticae quam aoristicae formae occurrunt; impf. 6 occurrit, plerumque in enuntiato κατὰ χώραν ἔμενε, ἔμενον: IV 14, 5; 26, 1; VII 49, 4; VIII 71, 3. Indicativus aoristi tantum bis occurrit: IV 6, 2 ἡμέρας γὰρ πέντε καὶ δέκα ἔμειναν ἐν τῇ Ἀττικῇ (aor. complex.); III 75, 1 οἱ οὐκέτι ἔμειναν (aor. constat. = ἔφυγον).

Compositi περιμένειν impf. aliquoties occurrit, ind. aor. non occurrit; quoniam praepositione περι- in eo composito exspectandi notio etiam magis exprimitur quam verbo simplici, non miramur aoristi indicativum omnino non occurrere.

Verbi οἰκεῖν imperfectum significat „habitare" velut I 2, 5; III 72, 3. Aoristi ind. (ᾤκησαν) ubique significat „considere in aliquo loco", habet igitur vim ingressivam.

Composita προσξυνοικεῖν et ἐξοικεῖν semel tantum occurrunt idque in aoristo ingressivo: VI 2, 3 προσξυνῴκησαν i. e. simul cum iis in iis locis consederunt; II 17, 1 τὸ Πελαργικὸν ἐξῳκήθη i. e. totum habitari coeptum est (vid. Steupii ann. ad hunc locum).

Ceterorum compositorum aor. indicativus non occurrit; compositorum autem ἀπ-, δι-, ἐν-, ἐπ-, παρ-, προσοικεῖν aoristicae formae omnino non occurrunt, sed tantummodo formae praesenticae.

Verbi ὁρμεῖν ejusque compositorum (ἀνθ-, ἐφ-, περιορμεῖν) tantummodo formae praesenticae, in quibus multa imperfecta, occurrunt; nam IV 75, 2 sine dubio

ὁρμίσας legendum est cum codd. CG, non ὁρμήσας quod ceteri codd. praebent (cf. Steupii ann. ad l.); de forma ἐφορμηθέντας quam codices praebent VI 49, 4 videatur Steupii „Anhang" ad eum locum: jure Steupius Boehmio pro ἐφορμηθέντας praeclare ἐφόρμησιν τά conicienti assentiri videtur.

Ad haec verba significatione accedunt ea verba quae significant „custodire", „observare": τηρεῖν, φρουρεῖν, φυλάσσειν.

Verbi τηρεῖν imperfectum 4 occurrit (3 act., 1 pass.), ind. aor. non occurrit. Compositi ἐπιτηρεῖν aoristus omnino non occurrit, imperf. 2.

Verbi φρουρεῖν ejusque compositorum ἐμ- et περιφρουρεῖν (quod tantummodo III 21, 4 legitur) tantum praesenticae formae, in quibus persaepe imperfectum, inveniuntur.

Verbi φυλάσσειν persaepe impf., nusquam ind. aor. occurrit. Compositum διαφυλάσσειν tantum semel occurrit: II 65, 5 ὅσον τε γὰρ χρόνον προύστη τῆς πόλεως — ἀσφαλῶς διεφύλαξεν αὐτήν, ubi aor. est complexivus.

Ad verba durativa, ut ita dicam, pertinent quoque ἀκολουθεῖν et ἕπεσθαι, quippe quae verba plerumque indicent actionem sequendi comitandique aliquamdiu continuatam, sive proprio sive translato sensu.

Verbi ἀκολουθεῖν impf. 7, ind. aor. semel tantum occurrit IV 94, 1 cum plqpfecti Latini significatione. Compositi ἐπακολουθεῖν impf. 3, ind. aor. semel occurrit VIII 10, 2 cum plqpfecti Latini significatione. Compositum ξυνακολουθεῖν 3 occurrit, ubique sub forma ξυνηκολούθουν.

Verbi ἕπεσθαι tantummodo praesenticae formae occurrunt, in quibus 2 impf.: V 60, 2; VII 57, 7. Compositi ξυνέπεσθαι impf. certo 4 occurrit: VI 30, 1; 61, 6; 64, 1; VII 57, 7. Aoristus certo 2 occurrit: I 60, 2 κατὰ φιλίαν τε αὐτοῦ οὐχ ἥκιστα οἱ πλεῖστοι ἐκ Κορίνθου στρατιῶται ἐθελονταὶ ξυνέσποντο i. e. „expeditioni se adjunxerant" (respicitur id quod legitur § 1 οἱ Κορίνθιοι πέμπουσιν ἑαυτῶν ἐθελοντὰς κτλ.) itaque aor. plqpfecti Latini vim habet, sicut altero quoque loco III 94, 1 ἔπειτα ὕστερον ἐπὶ Λευκάδα μείζονι στόλῳ ἦλθον Ἀκαρνᾶσί τε πᾶσιν, οἳ πανδημεὶ πλὴν Οἰνιαδῶν ξυνέσποντο κτλ. aor. vertendus est. In loco VII 57, 4 variant codices: codd. ABCEFGM exhibent aoristum ξυνέσποντο, tres codd. deteriores imperfectum ξυνείποντο. Cum Hudio malim legere imperfectum, quod bene convenit cum imperfecto ἠκολούθουν (ibid.) et imperfectis ξυνείποντο et εἵποντο (ib. § 7). Classenus praefert aoristum, qui congruat cum aoristo ξυνεστράτευσαν (§ 2); sed secundum ea quae ipse ille annotavit ad § 2, nostro loco potius imperfectum ξυνεστράτευον, quod legitur § 3, exemplo esse debet; nam sicut illic nostro quoque loco subjecti appositione exprimitur „das bestehende Verhältnis" (cf. ann. Cl. ad § 2 et § 4).

Porro huc pertinent ea verba quae significant „parare", „apparare", quorum formis praesenticis actio parandi continuata exprimitur: παρασκευάζεσθαι, ἐξαρτύειν, ἑτοιμάζειν.

Verbi παρασκευάζεσθαι impf. 72 occurrit, contra ind. aor. tantum 3, idque his locis: IV 16, 2 ἐνίκησα δὲ καὶ δεύτερος καὶ τέταρτος ἐγενόμην καὶ τἆλλα ἀξίως τῆς νίκης παρεσκευασάμην, quo loco Alcibiades

facta memorat quibus Atheniensibus persuadeat se patriae gloriam auxisse; recte igitur haec facta aoristis constativis exprimuntur; I 18, 3 ὥστε ἀπὸ τῶν Μηδικῶν ἐς τόνδε αἰεὶ τὸν πόλεμον — εὖ παρεσκευάσαντο τὰ πολέμια καὶ ἐμπειρότεροι ἐγένοντο κτλ. (aor. complex.); II 89, 2 οὗτοι γὰρ πρῶτον μὲν διὰ τὸ προνενικῆσθαι — τὸ πλῆθος τῶν νεῶν — παρεσκευάσαντο: „propter cladem priore proelio acceptam illum magnum numerum navium, quas videtis, paraverunt" (aor. constat.). In loco VII 22, 1 ubi codd. praebent ἐπειδὴ παρεσκευάσατο τὸ ναυτικόν malim cum Herwerdeno [1]) et Hudio legere παρεσκεύαστο (vid. ann. Herw. ad locum).

Compositorum ἀντι — et προπαρασκευάζεσθαι paucis locis imperfectum legitur, aoristus non occurrit.

Verbi ἐξαρτύειν (et med. — εσθαι) aliquot locis impf. occurrit, ind. aor. tantum semel legitur VII 65, 1 πρός τε τἆλλα ἐξηρτύσαντο κτλ., qui aoristus vim plqpfecti Latini habet: „apparaverant."

Verbi ἑτοιμάζειν ind. aor. non occurrit, sed impf. (act. et med.) paucis locis legitur.

Aeque huc pertinent ea verba quae significant „resistere", „retinere", „arcere", „contendere", sive proprio sive translato sensu: ἀντέχειν, εἴργειν, ἐναντιοῦσθαι, ἰσχυρίζεσθαι, quippe quibus verbis, quatenus sub formis praesenticis occurrunt, continuatio repugnationis sive contentionis indicetur.

Verbi ἀντέχειν saepe impf. occurrit, ind. aor. tantum hisce tribus locis legitur: II 64, 3 Pericles verba faciens de Atheniensium imperio profitetur

1) in ejus Thucydidis editione (Trajecti ad Rhenum 1877—'82.)

semper a posteris praedicatum iri Ἑλλήνων ὅτι Ἕλληνες πλείστων δὴ ἤρξαμεν καὶ πολέμοις μεγίστοις ἀντέσχομεν — πόλιν τε — μεγίστην ᾠκήσαμεν, quo loco aoristi sunt constativi; nam quae hic Pericles verbi formis primae personae enuntiat, ea posteri illi quos spectat sic dicturi fuisse cogitandi sunt: ἦρξαν, ἀντέσχον, ᾤκησαν (aor. const.); VII 43, 7 postquam Athenienses latius per hostium aciem perruperunt οἱ Βοιωτοὶ πρῶτοι αὐτοῖς ἀντέσχον καὶ προσβαλόντες ἔτρεψάν τε καὶ ἐς φυγὴν κατέστησαν: aoristus (sicut ii quoque aoristi qui sequuntur) est constativus: cursus repente impeditus nuntiatur, non describitur; VIII 95, 5 ὀλίγον μέν τινα χρόνον ὅμως καὶ ἀντέσχον, ἔπειτα κτλ.: aor. momentaneus [1]).

Verbi εἵργειν impf. (act. et pass.) saepe occurrit; ind. aor. act. legitur tantummodo VIII 92, 4 ξυλλαμβάνουσιν Ἀλεξικλέα — καὶ ἐς οἰκίαν ἀγαγόντες εἶρξαν i. e. in vincula conjecerunt: aor. usurpatur quia actio momentanea memoratur; ind. aor. pass. legitur tantummodo V 49, 1 Λακεδαιμόνιοι τοῦ ἱεροῦ ὑπὸ Ἠλείων εἵρχθησαν ὥστε μὴ θύειν μηδ᾽ ἀγωνίζεσθαι, quo loco id quod Lacedaemonii eo anno ad Olympia celebranda non sunt admissi tantum memoratur (aor. const.); contra ubi de ea re fusius agitur, sic legitur (V 50, 2): ὡς δὲ οὐδὲ ταῦτα ἤθελον, Λακεδαιμόνιοι μὲν εἴργοντο τοῦ ἱεροῦ κτλ. ubi imperfecto Elei per totum ludorum tempus intente caventes ne Lacedaemonii ad ludos accederent (de qua re in reliquo capite plura narrantur) animo lectoris repraesentantur.

Compositorum verbi εἵργειν aliquot locis imperfecta

---

1) Cf. supra p. 18 sq.

occurrunt, ind. aor. tantummodo compositorum ἀπείργειν et κατείργειν, utriusque semel, invenitur: IV 37, 1 ἔπαυσαν τὴν μάχην καὶ τοὺς ἑαυτῶν ἀπεῖρξαν, quo loco aoristus ad actionem momentaneam designandam usurpatur (ἀπεῖρξαν fere idem valet quod ἔπαυσαν: cf. contra imperfectum in loco II 53, 4 θεῶν δὲ φόβος ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε quod impf. conditionem diutius continuatam indicat); IV 47, 3 παραλαβόντες δὲ αὐτοὺς οἱ Κερκυραῖοι ἐς οἴκημα μέγα κατεῖρξαν „incluserunt", qui aoristus idem valet quod aoristus εἶρξαν in loco supra laudato VIII 92, 4. (Cum Steupio et Hudio codicum lectionem καθεῖρξαν mutandam censui in κατεῖρξαν de qua quaestione cf. ann. St. [1]) ad nostrum locum.)

Compositorum δι — et ἐξείργειν tantummodo praesenticae formae, in quibus pauca imperfecta, occurrunt.

Verbi ἐναντιοῦσθαι aliquot locis imperfectum legitur, ind. aor. non occurrit.

Verbi ἰσχυρίζεσθαι („pertinaciter in eadem sententia haerere", „mit Nachdruck worauf bestehen" Cl. ad VII 49, 1) semel iterumque imperfectum occurrit, ind. aor. non legitur.

Similiter praesenticas formas aoristicis praeferre quodammodo dici possunt ea verba quae significant „mente agitare", „putare", „animo obversari" vel simile quid, quia plerumque agitatio mentis aliquamdiu continuata depingitur. Huc pertinent haec verba: ἀξιοῦν, διανοεῖσθαι, ἐπίστασθαι, ἡγεῖσθαι, νομίζειν, οἴεσθαι, φαίνεσθαι, δοκεῖν.

---

1) Per litteras St. ubique volo Steupium, per litteras Cl. Classenum.

Verbi ἀξιοῦν impf. 26 (25 act., 1 pass.) occurrit, ind. aor. 9 legitur.

Imperfectum (ἠξίου, ἠξίουν) plerumque idem valet quod ἐκέλευε (-ον), est igitur impf. exspectativum[1]); ita impf. usurpatur hisce locis: I 90, 1; 95, 1; 135, 2; III 68, 1; 94, 2; IV 3, 2; 70, 2; V 35, 6; 41, 2 et 3; 50, 1; VI 63, 2; VIII 16, 1; 40, 1; 56, 4 (bis); 73, 4 (οὐκ ἠξίουν = ἐκέλευον μή). Impf. significat „utile judicare" sive „aequum censere" hisce locis: I 54, 2; II 53, 2; IV 66, 2; 83, 4; impf. negatione adjecta III 61, 2 significat „indignum judicare", „nolle". Cum significatione „persuasum habere", „confidere" (fere eodem sensu quo νομίζειν) impf. occurrit IV 40, 1; 65, 4; VI 86, 2.

Imperfectum passivi semel occurrit: V 16, 1 ἠξιοῦτο quod idem valet quod ἐν ἀξιώματι ἦν.

Ind. aoristi nusquam eodem sensu quo κελεύειν occurrit, sed significat „aequum censere" I 22, 2 et III 55, 1, ita tamen ut actio tantummodo memoretur (aor. constat.); in locis I 74, 2 et 132, 5 ind. aor. est adhibitus, quia mentio ibi fit consilii certo temporis momento initi. In loco V 41, 2 ind. aor. vim habet Latini plqpfecti.

Verbi διανοεῖσθαι imperfectum (ut aliae quoque formae praesenticae) persaepe occurrit, significans „mente agitare"; aoristi non multi qui occurrunt[2]) fere omnes habent vim ingressivam: „consilium inire" significant.

---

1) de quo cf. supra p. 28 sq. et infra § 6.

2) de quibus infra (§ 10) pluribus.

Verbi ἐπίστασθαι „perspectum habere", „scire", tantummodo formae praesenticae, in quibus nonnulla imperfecta, inveniuntur.

Verbi ἡγεῖσθαι („existimare") plures formae praesenticae, in quibus aliquot imperfecta, quam aoristicae, quarum complures vim ingressivam habent, inveniuntur.[1]) Animadvertendum est verbi λαμβάνειν quoque, quatenus fere idem valet quod ἡγεῖσθαι, tribus locis imperfectum, nusquam ind. aor., occurrere; qui loci sunt hi: VI 27, 3 τὸ πρᾶγμα μειζόνως ἐλάμβανον „majoris momenti existimabant"; 53, 3 πάντα ὑπόπτως ἐλάμβανε „omnia suspiciosa habebat"; 61, 1 περὶ δὲ τοῦ Ἀλκιβιάδου — χαλεπῶς οἱ Ἀθηναῖοι ἐλάμβανον „gravius rem secum reputabant".

Verbi νομίζειν, „putare", „habere", fere triplo saepius impf. quam ind. aor. occurrit. Aoristus plerumque est constativus, cujus exemplum affero III 33, 3 κέρδος δὲ ἐνόμισεν κτλ.: his verbis continetur contemplatio Pachetis, imperatoris Atheniensis, de re jam praeterita. Narratione de Pachete Lacedaemoniorum naves persequenti peracta Thucydides verbo tantummodo addito de Pachetis contemplatione (ἐνόμισεν κτλ.) transit ad enarranda quae secuta sunt; nihil ergo attinebat eam contemplationem lectori repraesentare imperfecto, aoristo (const.) memorare satis erat. — Ingressivus dic ipoterit is aoristus qui legitur IV 128, 5 ἀπὸ τούτου πρῶτον Περδίκκας Βρασίδαν πολέμιον ἐνόμισε „ex eo tempore Brasidam hostem habere coepit" (cf. ann. St. „der Aorist bezeichnet den Umschwung").

---

1) Idem valet de verbo ἡγεῖσθαι quatenus significat „ducem esse" (cf. supra p. 35); de ejus verbi utroque sensu adhibiti aoristis § 10 pluribus.

Verbi *οἴεσθαι* impf. saepe occurrit, ind. aor. hisce tantum locis legitur: IV 63, 1 *τὸ ἐλλιπὲς τῆς γνώμης ὧν ἕκαστός τις ᾠήθημεν πράξειν ταῖς κωλύμαις ταύταις ἱκανῶς νομίσαντες εἰρχθῆναι, τοὺς ἐφεστῶτας πολεμίους ἐκ τῆς χώρας ἀποπέμπωμεν*: Hermocrates Sicilienses civitates adhortatur ut simultatibus mutuis depositis omnes conjunctim Athenienses e Sicilia expellant; ea igitur quae inter se parant molimina (*ὧν ἕκαστός τις ᾠήθημεν πράξειν*) quam brevissime aoristo (complex.) absolvit, ut animos audientium quam celerrime ab iis avertat; III 39, 3 *ἐν ᾧ γὰρ ᾠήθησαν περιέσεσθαι, ἐπέθεντο ἡμῖν οὐκ ἀδικουμένοις*: aor. certum temporis momentum indicat quo Mytilenaei Atheniensium civitatem, bello morboqne confectam, aggressi sunt; IV 130, 5 *καὶ προσπεσόντες τρέπουσιν ἅμα μὲν μάχῃ αἰφνιδίῳ, ἅμα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις τῶν πυλῶν ἀνοιγομένων φοβηθέντων· ᾠήθησαν γὰρ ἀπὸ προειρημένου τινὸς αὐτοῖς τὴν ἐπιχείρησιν γενέσθαι*: aor. usurpatur, quia designatur opinio certo temporis momento, scilicet cum portae Atheniensibus apertae sunt, orta; VII 66, 3 *ἄνδρες γὰρ ἐπειδὰν ᾧ ἀξιοῦσι προύχειν κολουσθῶσι, τό γ' ὑπόλοιπον αὐτῶν τῆς δόξης ἀσθενέστερον αὐτὸ ἑαυτοῦ ἐστιν ἢ εἰ μηδ' ᾠήθησαν τὸ πρῶτον* (sc. *προύχειν*) i. e. „quam si omnino numquam eam opinionem de se concepissent": aoristus est ingressivus.

Verbi *φαίνεσθαι* multo plures praesenticae formae, in quibus impf. 29, quam aoristicae occurrunt. Imperfecto plerumque adjunctum est nomen praedicativum (subst. sive adject.) sive enuntiatum praedicativum, significanti „videbatur (-antur)"; ubique indicatur aliquid quod aliquamdiu menti obversatur; loci sunt hi: I 95, 3; 107, 3; II 20, 4; 21, 2; 27,

1; III 11, 2; 33, 3; IV 57, 2; VI 60, 2; VII 27, 2; 47, 2; 73, 3; 75, 7; VIII 38, 3; 45, 1; 48, 4.

Ab imperfecto infinitivus dependet (= ἐδόκει c. inf.): I 44, 3; 132, 3; II 3, 3; V 14, 4; VII, 4, 4. ἐφαίνετο cum participio conjunctum legitur I 131, 1 ἐφαίνετο ποιῶν et II 67, 4 ἐφαίνετο πράξας.

Imperfectum absolute positum est, significans „(aliquamdiu) in conspectu esse" hisce locis: I 102, 2; III 20, 1; IV 108, 4; V 7, 5; VI 63, 2; VIII 8, 4.

Aoristus (φανῆναι) est sive ingressivus: „in conspectum venire", sive effectivus: „diutius contemplanti tandem certam atque definitam speciem praebere". Loci quibus ind. aor. occurrit sunt hi: I 8, 1 Δήλου γὰρ καθαιρομένης ὑπὸ Ἀθηναίων ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ καὶ τῶν θηκῶν ἀναιρεθεισῶν, ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν τῇ νήσῳ, ὑπὲρ ἥμισυ Κᾶρες ἐφάνησαν, γνωσθέντες τῇ τε σκευῇ τῶν ὅπλων κτλ.: ex quibusdam signis colligi poterat ea cadavera esse Carum (aor. effect.); V 68, 1 τάξις μὲν ἥδε καὶ παρασκευὴ ἀμφοτέρων ἦν, τὸ δὲ στρατόπεδον τῶν Λακεδαιμονίων μεῖζον ἐφάνη i. e. acie utrimque instructa quivis constituere poterat exercitum Lacedaemoniorum esse majorem (aor. effect.); VIII 10, 1 ἐν δὲ τούτῳ τὰ Ἴσθμια ἐγίγνετο, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐθεώρουν ἐς αὐτά, καὶ κατάδηλα μᾶλλον αὐτοῖς τὰ τῶν Χίων ἐφάνη i. e. per quam occasionem consilia Chiorum, quae aliquamdiu conjectabant (cf. c. 9, 2), etiam magis iis claruerunt (aor. eff.); VIII 68 3 παρέσχε δὲ καὶ ὁ Φρύνιχος ἑαυτὸν πάντων διαφερόντως προθυμότατον ἐς τὴν ὀλιγαρχίαν — πολύ τε πρὸς τὰ δεινά, ἐπειδήπερ ὑπέστη, φερεγγυώτατος ἐφάνη: suis factis fide dignissimum se praestitit (aor. eff. simulque complex.: omnia quae Phrynichus ad cau-

sam oligarchicam sustentandam fecerat aoristo comprehenduntur, sicut etiam aoristo παρέσχεν). Infinitivus quoque aoristi vim effectivam habet hisce duobus locis: II 62, 3 τῶν τε πατέρων μὴ χείρους κατ' ἀμφότερα φανῆναι; IV 40, 5 τῇ τε αὐτῇ ζημίᾳ ἀξιώσατε ἀμύνασθαι καὶ μὴ ἀναλγητότεροι τῶν ἐπιβουλευσάντων φανῆναι (utroque loco „factis suis se praestare").

Participium aoristi legitur tantummodo VIII 102, 1 ὡς — ᾔσθάνοντο τὰ πυρὰ ἐξαίφνης πολλὰ ἐν τῇ πολεμίᾳ φανέντα: aor. ingr. „subito in conspectum cadere"; cf. IV 36, 2 ἐπὶ τοῦ μετεώρου ἐξαίφνης ἀναφανείς (compositum ἀναφαίνεσθαι alibi apud nostrum non occurrit) et IV 96, 5 (τῶν ἱππέων) ὑπερφανέντων αἰφνιδίως.

Ut jam e duobus locis proxime laudatis apparet, composita quoque verbi φαίνεσθαι praebent formas aoristicas vi ingressiva praeditas, quo pertinent hi quoque loci: IV 93, 3 καὶ ἐπειδὴ καλῶς αὐτοῖς εἶχεν, ὑπερεφάνησαν τοῦ λόφου „in summo colle monstrare se coeperunt"; II 28 ὁ ἥλιος ἐξέλιπε — ἀστέρων τινῶν ἐκφανέντων „stellis quibusdam elucentibus" (compositum ἐκφαίνεσθαι hic tantum legitur); VIII 42, 3 καὶ ἐν τῷ ἔργῳ ἐπεκράτουν, μέχρι οὗ ἐπεφάνησαν αὐτοῖς παρὰ δόξαν αἱ πλείους τῶν νεῶν: „in conspectum venerunt"; similiter VIII 44, 3 οἱ δὲ Ἀθηναῖοι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ταῖς ἐκ τῆς Σάμου ναυσὶν αἰσθόμενοι ἐπέπλευσαν[1]) μὲν βουλόμενοι φθάσαι καὶ ἐπεφάνησαν πελάγιοι „und waren bereits auf hoher See (den Peloponnesiern auf Rhodus) zu Gesicht gekommen" (Cl.). (Facio cum Classeno et Herwerdeno legentibus ἐπεφάνησαν

1) Sic enim ἐπέπλευσαν lego cum cod. B, de qua re infra (§ 7) pluribus.

cum cod. B, ceteris codicibus exhibentibus ἐφάνησαν; cf. ann. Cl. ad nostrum locum et ad locum proxime laudatum c. 42, 3).

Compositi διαφαίνεσθαι tantummodo indicativus aoristi occurrit, idque his locis: I 18, 2 (quo loco Stephani conjectura δὴ ἐφάνη quam Hudius recepit, prorsus non necessaria est; cf. ann. St. ad locum); II 51, 3; IV 108, 4; VI 17, 5. Hoc composito vis effectiva verbi simplicis aoristi etiam clarius exprimitur: „inter alia sive ad extremum certam quandam speciem exhibere" (Germanice „sich herausstellen").

Solius compositi καταφαίνεσθαι imperf. occurrit: V 6, 3 (Cerdylium describitur) ἔστι δὲ τὸ χωρίον τοῦτο Ἀργιλίων ἐπὶ μετεώρου πέραν τοῦ ποταμοῦ — καὶ κατεφαίνετο πάντα αὐτόθεν i. e. omnia inde prospiciebantur (impf. descript.-durat.); hoc compositum alibi non occurrit.

Verbi δοκεῖν multo saepius praesenticae formae, in quibus impf. 91, quam aoristicae, in quibus ind. aor. 34, occurrunt. Imperfectum plerumque eodem sensu occurrit quo ἐφαίνετο: „videbatur (-ntur)"; saepe quoque impersonaliter usurpatur et vertendum est „utile videbatur", cf. IV 71, 1; V 53. Quotiescunque autem mentio fit decreti a comitiis sive alio consilio deliberanti facti, semper[1]) in usu est aor. ἔδοξε „placuit", cujus usus notissimi exemplum unum e multis affero VIII 8, 2 ξυνελθόντες ἐς Κόρινθον οἱ ξύμμαχοι ἐβουλεύοντο, καὶ ἔδοξε κτλ.; conferatur contra V 38, 1 ἐν δὲ τούτῳ ἐδόκει πρῶτον τοῖς βοιωτάρ-

---

1) cf. tamen de ἐδόκει — ἔδοξε infra § 8.

χαις — ὀμόσαι ὅρκους ἀλλήλοις κτλ., quo loco imperfectum usurpatur, quia id consultum non per se ratum fuit; prius enim sanciendum fuit ταῖς τέσσαρσι βουλαῖς τῶν Βοιωτῶν (§ 2).

Aliquoties δοκεῖν significat „arbitrari", „putare"; cujusmodi locis semper formae praesenticae leguntur, velut IV 14, 2 (impf.); 62, 2; V 88; aoristus tantummodo legitur VI 104, 3 ὁ δὲ Νικίας πυθόμενος αὐτὸν προσπλέοντα ὑπερεῖδε τὸ πλῆθος τῶν νεῶν — καὶ ληστικώτερον ἔδοξε παρεσκευασμένους πλεῖν i. e. „putavit": aor. usurpatur quia illa Niciae opinio non aliquamdiu continuata describitur sed tantummodo quatenus eam concepit simulac ille nuntius (πυθόμενος κτλ.) ei allatus est.

Etiam animadvertendum est in ea locutione quae est (ὡς) ἐμοὶ δοκεῖν, „ut mihi quidem videtur", semper apud omnes scriptores usurpari infinitivum praesentis, non aoristi; apud nostrum ea elocutio legitur VII 87, 5 δοκεῖν δ'ἔμοιγε; VIII 64, 5 δοκεῖν δέ μοι (quo loco cum Classeno et Hudio e codice Vaticano recipiendum puto δοκεῖν, non δοκεῖ quod ceteri codd. praebent).

Iis verbis quae sua natura atque indole praesenticas formas praeferunt aoristicis etiam annumerandum est verbum βούλεσθαι; plerumque enim voluntas aliquamdiu continuata mentibus lectorum proponitur; quo fit ut ejus verbi imperfectum 63 occurrat, aoristus autem perpaucis locis inveniatur. Indicativus aoristi quinque modo locis legitur, quorum tribus (II 94, 1; III 113, 6; VIII 87, 4) secundum eas leges quae in enuntiatis hypotheticis valent [1]) usurpatus est:

1) cf. supra p. 22 sq.

εἰ ἐβουλήθη (-θησαν) = si voluisset (-issent); quos igitur locos hic non fusius tractabimus. Restat ut dicamus de duobus reliquis locis, qui sunt hi: I 34, 2 ὡς δὲ ἠδίκουν σαφές ἐστιν· προκληθέντες γὰρ περὶ Ἐπιδάμνου ἐς κρίσιν πολέμῳ μᾶλλον ἢ τῷ ἴσῳ ἐβουλήθησαν τὰ ἐγκλήματα μετελθεῖν; aor. est constativus: argumento est quod voluerunt etc., id quod ipsi nunc vestris oculis videtis. Altero loco II 42, 4 Pericles de mortuis quos laudatione celebrat dicit: ἐβουλήθησαν μετ' αὐτοῦ (i. e. τοῦ κινδύνου) τοὺς μὲν τιμωρεῖσθαι κτλ.; hic quoque aor. est constativus: ii quorum corpora hic jacentia videtis voluerunt etc., id quod omnibus vobis nuper accidisse notum est (cf. aorr. qui praecedunt ἐμαλακίσθη, ἀναβολὴν — ἐποιήσατο et ii qui sequuntur ἔφυγον, ὑπέμειναν, ἀπηλλάγησαν, qui aoristi omnes sunt constativi). Infinitivus aor. omnino 2 occurrit: VIII 46, 1 παρῄνει δὲ καὶ τῷ Τισσαφέρνῃ μὴ ἄγαν ἐπείγεσθαι διαλῦσαι τὸν πόλεμον, μηδὲ βουληθῆναι — τοῖς αὐτοῖς τῆς τε γῆς καὶ τῆς θαλάσσης τὸ κράτος δοῦναι; aoristo voluntas quam maxime diminuitur: „ne tantillum quidem vellet etc." (Ex Classeni interpretatione „er müsse gar nicht zu dem Wunsche kommen" apparere videtur illum aoristum βουληθῆναι habuisse pro ingressivo, quae interpretatio, quamquam non ita multum a mea differt, tamen minus justa mihi videtur.) Altero loco quo infin. aoristi occurrit (VIII 56, 3 δοκεῖ δέ μοι καὶ ὁ Τισσαφέρνης τὸ αὐτὸ βουληθῆναι) solito more infinitivo aoristi actio praeterita indicatur.

Etiam verba affectuum quae dicuntur suum locum habent inter ea verba quae plures praesenticas quam aoristicas formas exhibent; animi enim

affectus plerumque formis durativis exprimuntur. Huc pertinent haec verba: ἄχθεσθαι, βαρύνεσθαι, ὀργίζεσθαι, χαλεπαίνειν; φοβεῖσθαι; ἀρέσκειν, ἐλπίζειν.

Verbi ἄχθεσθαι aliquoties impf. legitur, ind. aor. nusquam occurrit.

Verbi βαρύνεσθαι „gravari", „taedio affici", tantum praesenticae formae, in quibus 2 impf. (II 16, 2; VIII 1, 2), occurrunt.

Verbi ὀργίζεσθαι impf. 5 legitur, ind. aor. nusquam invenitur.

Verbi χαλεπαίνειν „aegre ferre", „succensere", tantum praesenticae formae, in quibus 4 impf., inveniuntur.

Verbi φοβεῖσθαι „timere" impf. (et aliae formae praesenticae) multo saepius occurrit quam aor., qui apud nostrum semper significat „timorem concipere" (aor. ingress.); impf. 14, ind. aor. 5 legitur. Contra activi φοβεῖν plures aoristicae formae, in quibus 4 ind. aor., quam praesenticae, in quibus 2 impf., occurrunt; id quod eo factum est, quod activum φοβῆσαι plerumque ingressive usurpatur: „timorem incutere"; formae autem praesenticae significant „timore (aliquamdiu) afficere", ita ut imperfecta quae occurrunt (II 94, 3; V 45, 1) vertenda sint „sollicitudine (aliquamdiu) afficiebant".

Verbi ἀρέσκειν „placere" (pass. „acquiescere") tantummodo praesenticae formae (in quibus 7 impf. act. et 2 impf. pass.) inveniuntur. (Compositum ἀπαρέσκειν „displicere" legitur tantummodo I 38, 4 ἀπαρέσκοιμεν.)

Verbi ἐλπίζειν „sperare", „confidere", „exspectare", aliquoties (18) impf. occurrit; ind. aor.

hisce tantum duobus locis legitur: IV 85, 2 ἠλπίσαμεν, qui aor. est constativus, quo Brasidas breviter Acanthios monet Lacedaemonios initio belli sperasse quidem . . . ., eam autem spem eos fefellisse (spes memoratur tantum, non describitur); V 7, 3 ἐς μάχην μὲν γὰρ οὐδὲ ἤλπισέν οἱ ἐπεξιέναι οὐδένα „omnino non exspectavit quemquam secum pugnam commissurum": aoristo significatur ne minimam quidem exspectationem in Cleone fuisse.

Tandem aliquid dicendum est de hisce verbis, quorum omnium apud nostrum propter vim eorum durativam plures praesenticae quam aoristicae formae inveniuntur: ἀκμάζειν, δεῖν, δεῖσθαι, δηοῦν, δύνασθαι, θεᾶσθαι, θεωρεῖν, θεραπεύειν, μάχεσθαι, μέλλειν, πειρᾶσθαι, πορεύεσθαι. De singulis pauca dicam.

Verbi ἀκμάζειν, „florere", quo semper status indicatur (ἐν ἀκμῇ εἶναι), tantummodo praesenticae formae, in quibus 2 impf. (VII 12, 3; 63, 4) inveniuntur.

Verbi δεῖν permultae formae praesenticae, in quibus persaepe imperfectum, inveniuntur, contra aoristus duobus tantum locis legitur; cujus rei causa videtur quod fere semper designatur aliquid quod aliquamdiu opus esse, debere, oportere fingendum est. Ind. aor. legitur tantummodo II 77, 5 τοῦτο (i. e. τὸ πῦρ) δὲ μέγα τε ἦν καὶ τοὺς Πλαταιᾶς τἆλλα διαφυγόντας ἐλαχίστου ἐδέησε διαφθεῖραι i. e. paene perdidit: aoristo exprimitur parvum discrimen (aor. moment.).

Verbi deponentis δεῖσθαι „indigere", „rogare", „orare", item multo plures praesenticae formae,

in quibus multa imperfecta, quam aoristicae occurrunt. Indicativus aoristi tantummodo bis (I 27, 2) legitur, de quibus locis infra (§ 6) dicetur.

Compositi ἀποδεῖν nil nisi part. praes. (bis) occurrit.

Compositorum προσδεῖν „insuper opus esse" et προσδεῖσθαι „insuper egere" tantummodo praesenticae formae, in quibus semel iterumque imperfectum, occurrunt.

Verbi δῃοῦν „populari" impf. 27 occurrit, quo imperfecto populandi actio continuata exprimitur; aoristus legitur ubi populatio, quamquam diutius continuata, obiter memoratur (aor. constat.-complex.), velut IV 45, 1 καὶ καθορμισάμενοι τήν τε γῆν ἐδῄωσαν καὶ τὴν νύκτα ηὐλίσαντο; III 26, 3 ἐδῄωσαν δὲ τῆς Ἀττικῆς τά τε πρότερον τετμημένα κτλ.: quamquam hic populationis mentio fit, quae a Lacedaemoniis agrum Atticum incursione infestantibus diutius agebatur, tamen aor. adhibetur, quia haec ἐσβολή breviter absolvitur (aor. complex.). Ind. aor. omnino 13 occurrit.

Verbi δύνασθαι impf. 42 occurrit, saepe cum negatione conjunctum[1]) velut I 130, 1; II 19, 1; 33, 2; 68, 9; III 52, 2; 89, 2; 103, 1; imperfectum describit conamina (saepius irrita) alicujus rei conficiendae. Indicativus aoristi praeter locum III 10, 6, quo solito more in enuntiato hypothetico usurpatus est, hisce tantum locis occurrit, ubique cum negatione conjunctus: IV 33, 2 τοῖς μὲν οὖν ὁπλίταις οὐκ ἐδυνήθησαν προσμεῖξαι κτλ.; 129, 4 Νικίας μὲν — οὐκ ἐδυνήθη βιάσασθαι κτλ.; V 55, 2 ὕστερον δὲ ἐς τὸ αὐτὸ ξυνελθόντες οὐδ' ὣς ἐδυνήθησαν

1) De imperfecto cum negatione conjuncto cf. supra p. 30 sq. et infra § 9.

ξυμβῆναι κτλ.; VII 25, 4 μίαν μὲν ναῦν λαμβάνουσιν αὐτοῖς ἀνδράσι, τὰς δ'ἄλλας οὐκ ἐδυνήθησαν, ἀλλ' ἀποφεύγουσιν ἐς τὰς Συρακούσας; quibus quattuor locis id tantum agitur ut nuntietur conamina non prospere successisse, non ut illa conamina lectoribus repraesententur, quibus igitur locis aoristus dici potest effectivus.

Verborum θεᾶσθαι et θεωρεῖν tantummodo praesenticae formae inveniuntur, cujus rei causa videtur quod haec verba significant „attente spectare", quae notio rectius formis durativis quam aoristicis exprimitur. (Quamquam IV 93, 1 ἐς χωρίον καθίσας ὅθεν — οὐκ ἐθεώρουν ἀλλήλους verbum θεωρεῖν insolenter usurpatum est sensu proprio conspiciendi, cum plerumque ludos spectare significet, tamen temere mutandum non censeo; cf. St. ann. ad locum.) Eodem pertinet quod a verbo ὁρᾶν, quod proprie significare videtur „das hütende, sorgliche Betrachten"[1]), aoristus ex eadem stirpe non formatur; aoristi loco in usu est ἰδεῖν, quo proprie significatur „repente conspicere" (Germanice „erblicken"), cf. IV 44, 4 κονιορτὸν δὲ ὡς εἶδον καὶ ὡς ἔγνωσαν, ἐβοήθουν εὐθύς; animadvertendum est eo sensu qui est „vergere, spectare" (de situ regionis) et „operam dare ut", „cavere ne (μή)" semper praesenticas formas (i. e. praesens sive imperfectum verbi ὁρᾶν) usurpari (loci laudati sunt in Bétantii Lexico).

Verbi θεραπεύειν „curare", „colere", „operam dare", multae praesenticae formae, in quibus

1) Brugm. Gr. Gr.³ § 532; cf. Delbrück Synt. Forsch. IV p. 92 et G. Curtius Grundzüge der griechischen Etymologie (ed. quint. Lips. 1879) p. 101.

3 impf., occurrunt cum significatione durativa; aor. legitur tantummodo I 137, 3 ὁ Θεμιστοκλῆς ἐκεῖνόν τε ἐθεράπευσε χρημάτων δόσει κτλ., ubi aor. adhibitus est quia de actione momentanea agitur: ἐθεράπευσε hic fere significat „remuneratus est".

Compositi ἐπιθεραπεύειν nil nisi praesens occurrit.

Verbi μάχεσθαι multae formae praesenticae, in quibus saepe imperfectum, occurrunt. Aoristus tantummodo legitur V 34, 1 οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐψηφίσαντο τοὺς μὲν μετὰ Βρασίδου Εἵλωτας μαχεσαμένους ἐλευθέρους εἶναι „qui pugnavissent". Praeter hunc locum, ubi solito more part. aor. cum plqpfecti Latini significatione usurpatum est, nonnullis locis etiam contra usum vulgatum pro aoristis praesenticas formas legimus, scilicet III 113, 4 οὐκ ἄρα τῶν μεθ' ἡμῶν μαχομένων ἐστίν (exspectamus μαχεσαμένων); ibid. εἴπερ γε ὑμεῖς ἐν Ἰδομενῇ χθὲς ἐμάχεσθε; ib. ἀλλ' ἡμεῖς γε οὐδενὶ ἐμαχόμεθα χθὲς κτλ.; ib. καὶ μὲν δὴ τούτοις γε ἡμεῖς χθὲς — ἐμαχόμεθα: iis quoque tribus locis exspectamus aoristum constativum de re nuper facta [1]); tamen actio durativa quae verbo μάχεσθαι exprimitur effecisse videtur ut etiam contra usum solitum formae praesenticae sint usurpatae (cf. ann. St. ad nostrum locum).

Compositorum verbi μάχεσθαι (ἀνα—, ἀντι—, ἀπο—, δια—, ξυμ—, προμάχεσθαι) tantummodo praesenticae formae, in quibus semel iterumque imperfectum, leguntur; aoristus nusquam occurrit.

Verbi μέλλειν „futurum esse", „in eo esse ut", „cunctari", permultae formae praesenticae,

---

1) cf. supra p. 17 sq.

in quibus 68 impf., occurrunt; contra aoristus raro legitur, indicativus aoristi quattuor tantum locis; cujus rei causa videtur quod significationes hujus verbi magis formis durativis favent. Hisce duobus locis aoristum momentaneum[1]) dicere velim: I 134, 4 *καὶ αὐτὸν* (i. e. *τὸν Παυσανίαν*) *ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν Κεάδαν ἐσβάλλειν· ἔπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι*: aoristo significatur Lacedaemonios primo quidem in animo habuisse Pausaniam in Ceadam deicere, deinde vero illud consilium mutasse; aoristo non tam brevis consilii continuatio exprimitur quam Lacedaemonios in ea sententia non permansisse; III 55, 2 *ἐν μέντοι τῷ πολέμῳ οὐδὲν ἐκπρεπέστερον ὑπὸ ἡμῶν οὔτε ἐπάθετε οὔτε ἐμελλήσατε* (sc. *παθεῖν*), quo loco imperfectum (*ἐμέλλετε*) potius exspectamus, quia de totius belli tempore cogitatur; aoristo autem significari puto ne minimum quidem periculum umquam Lacedaemoniis a Plataeensibus timendum fuisse. In loco IV 123, 2 aoristus *ἐμέλλησαν*, utcunque is locus corruptus explanandus est, utique plqpfecti Latini significatione praeditus est: „quod tum in animo habuerant" (de quo loco cf. ann. St.). Etiam VIII 23, 5 *ἀπεκομίσθη δὲ πάλιν ὁ ἀπὸ τῶν νεῶν πεζὸς ὃς ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἐμέλλησεν ἰέναι* aor. habet vim plqpfecti Latini: „peditatus qui ad Hellespontum profecturus erat" (cf. c. 8, 2).

Compositi *διαμέλλειν* „cunctari" paucae tantum praesenticae formae, in quibus semel impf., occurrunt. Ind. aor. legitur tantummodo VII 49, 4 *καὶ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι τούτῳ τῷ τρόπῳ διεμέλλησάν τε καὶ κατὰ χώ-*

1) cf. supra p. 18 sq. et infra § 15.

ραν ἔμενον, quo loco aoristum cum Classeno habeo pro ingressivo („sie kamen ins zögern" Cl.), quo respicitur id quod praecedit ibidem μέλλησις ἐγένετο.

Verbi πειρᾶσθαι multae formae praesenticae, in quibus aliquoties impf., occurrunt; ind. aor. non invenitur. Activi (πειρᾶν) semel ind. aor. occurrit IV 102, 2 τὸ δὲ χωρίον τοῦτο — ἐπείρασε μὲν πρότερον καὶ Ἀρισταγόρας ὁ Μιλήσιος — κατοικίσαι, ubi aor. vim habet plqpfecti Latini: „conatus erat".

Compositi ἀναπειρᾶσθαι „se exercere" (quod de navibus dicitur) aoristus omnino non occurrit; nil nisi 2 impf. et semel part. praes. leguntur.

Quod verbum πειρᾶσθαι (et compos. ἀναπειρ.) magis formis praesenticis quam aoristicis favet, explanandum videtur ex ipsa notione quae inest verbo tentandi, quod indicat aliquem anniti aliquamdiu ut quid efficiatur. Quare mirum non est compositi ἀποπειρᾶν (-ᾶσθαι IV 24, 3) saepius aoristum occurrere quam praesenticas formas, quia id compositum plerumque significat „(certo temporis momento) aliquo sive aliqua re repentino impetu potiri conari" („mit der Absicht der Einnahme oder Unterwerfung einen Versuch auf etwas oder jemanden machen" St. ad IV 24, 3); ind. aor. legitur tantummodo IV 135, 1 ἀπεπείρασε δὲ τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος καὶ ὁ Βρασίδας — Ποτειδαίας: Potidaeam ex improviso expugnare tentavit.

Verbi πορεύεσθαι „iter facere" persaepe formae praesenticae, in quibus impf. 18, occurrunt; contra aoristus, quod e natura ejus verbi durativa facile intelligitur, perraro legitur. Imperfectum saepe est incohativum, velut V 58, 2 ὁ δὲ Ἆγις τῆς νυκτὸς ἀναστήσας τὸν στρατὸν καὶ λαθὼν ἐπορεύετο ἐς Φλειοῦντα

παρὰ τοὺς ἄλλους ξυμμάχους i. e. „iter facere instituit (et aliquamdiu iter faciebat)"; ubi impf. legitur, plerumque fusius de itinere narratur, quae gesta sint priusquam ad finem itineris sit perventum: cf. II 98, 1 *ἐπορεύετο* (bis). Indicativus aoristi semel tantum legitur I 26, 2 *ἐπορεύθησαν δὲ πεζῇ ἐς Ἀπολλωνίαν*: iter memoratur tantum, non describitur (aor. constat.). Duobus locis occurrit infin. aor., vi effectiva praeditus: I 137, 1 *ἀλλ' ἀποστέλλει* (sc. *τὸν Θεμιστοκλέα*) *βουλόμενον ὡς βασιλέα πορευθῆναι ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλασσαν πεζῇ ἐς Πύδναν*: i. e. cum vellet pervenire ad regem Persarum: infin. aor. finem itineris indicat; idem valet in loco II 67, 1 *Ἀριστεὺς Κορίνθιος καὶ Λακεδαιμονίων πρέσβεις — πορευόμενοι* (iter facientes) *ἐς τὴν Ἀσίαν ὡς βασιλέα — ἀφικνοῦνται ὡς Σιτάλκην πρῶτον τὸν Τήρεω ἐς Θρᾴκην, βουλόμενοι — δι' ἐκείνου πορευθῆναι πέραν τοῦ Ἑλλησπόντου ὡς Φαρνάκην κτλ.*, quem aoristum St. recte vertit „ihre Reise glücklich vollenden"; non minus recte vis aoristi effectiva redditur Boehmii versione: „befördert werden".

---

§ 2. De imperfecto iterativo[1]).

Primum aliquot locos e diversis libris depromptos laudabimus quibus imperfectum manifeste vim iterativam exhibet. Huc pertinent:

I 12, 1 *ἐπεὶ καὶ μετὰ τὰ Τρωικὰ ἡ Ἑλλὰς ἔτι μετανίστατό τε καὶ κατῳκίζετο*: „Hellas erfuhr noch immer neue Niederlassungen und Begründung neuer Staaten" (St.).

1) Cf. supra p. 25 sq.

II 65, 7 ἃ κατορθούμενα μὲν τοῖς ἰδιώταις τιμὴ καὶ ὠφελία μᾶλλον ἦν, σφαλέντα δὲ τῇ πόλει — βλάβη καθίστατο: quotiescunque prospere succedebant, privatis in honorem et utilitatem vertebant; quotiescunque autem non succedebant, reipublicae damnum inferebant.

II 94, 1 φρυκτοὶ ἤροντο πολέμιοι; imperfectum indicat signa ignea identidem data; cf. III 22, 7 sq. φρυκτοί τε ἤροντο ἐς τὰς Θήβας πολέμιοι· παρανῖσχον δὲ καὶ οἱ ἐκ τῆς πόλεως Πλαταιῆς ἀπὸ τοῦ τείχους φρυκτοὺς πολλοὺς κτλ.

ib. § 2 ναῦς καθεῖλκον: impf. de singulis navibus deductis.

II 96, 2 καὶ τοὺς μὲν μισθῷ ἔπειθεν κτλ.: imperfectum non est conativum [1]) sed iterative usurpatum est de diversis gentibus obsequentibus.

III 21, 3 ὥστε πάροδον μὴ εἶναι παρὰ πύργον, ἀλλὰ δι' αὐτῶν μέσων διῇσαν (sc. οἱ φύλακες): identidem permeabant.

32, 3 ὁρῶντες γὰρ τὰς ναῦς οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔφευγον, ἀλλὰ προσεχώρουν μᾶλλον ὡς Ἀττικαῖς: impff. de singulis hominibus.

33, 2 τῷ Πάχητι καὶ τοῖς Ἀθηναίοις ἦλθε μὲν καὶ ἀπὸ τῆς Ἐρυθραίας ἀγγελία, ἀφικνεῖτο δὲ καὶ πανταχόθεν: impf. ἀφικν. de nuntiis qui undique afferebantur; contra aor. ἦλθε de nuntio ab una parte allato.

49, 3 ἐγένετο σπουδὴ τοῦ πλοῦ τοιαύτη ὥστε ἤσθιόν τε ἅμα ἐλαύνοντες — καὶ οἱ μὲν ὕπνον ᾑροῦντο κατὰ μέρος, οἱ δὲ ἤλαυνον: impff. de iis quae identidem faciebant.

---

1) cf. supra p. 27 et infra § 5.

75, 5 *τὰ ἐπιτήδεια ἐκεῖσε αὐτοῖς διεπέμπετο*: impf. de commeatibus saepius transmissis.

In loco IV 26 fusius agitur de Sphacteria insula ab Atheniensibus obsessa. Hoc in capite complura imperfecta iterativa usurpantur ad indicanda ea quae per obsidionis tempus etiam atque etiam fiunt. Item nonnulla participia praesentis quae ibidem leguntur vi iterativa praedita sunt. Imperfecta et participia quae volo sunt haec: § 2 *διαμώμενοι* — *ἔπινον*; § 3 *οἱ μὲν σῖτον ἐν τῇ γῇ ᾑροῦντο κατὰ μέρος, οἱ δὲ μετέωροι ὥρμουν*; § 6 *καὶ ἐσῆγον ἄλλοι τε παρακινδυνεύοντες καὶ μάλιστα οἱ Εἵλωτες, ἀπαίροντες* — *καὶ καταπλέοντες κτλ.*; § 7 *μάλιστα δὲ ἐτήρουν* —· *ῥᾷον γὰρ ἐλάνθανον* —· *ἄπορον γὰρ ἐγίγνετο* —· *ἐπώκελλον* — *ἐφύλασσον. ὅσοι δὲ γαλήνῃ κινδυνεύσειαν, ἡλίσκοντο*; § 8 *ἐσένεον* — *ἐφέλκοντες*; § 9 *παντί τε τρόπῳ ἑκάτεροι ἐτεχνῶντο κτλ.*

IV 67, 3 *πρὶν ἡμέραν εἶναι πάλιν αὐτό* (i. e. *τὸ ἀκάτιον*) — *κατὰ τὰς πύλας ἐσῆγον* i. e. solebant introducere (cf. id quod praecedit *εἰώθεσαν κατακομίζειν*); ib. § 4 *ἐγίγνετο γὰρ ἀπὸ ξυνθήματος τὸ τοιοῦτον*: fieri solebat.

69, 3 *ἐφ' ἡμέραν γὰρ ἐκ τῆς ἄνω πόλεως ἐχρῶντο* (sc. *σίτῳ*): in singulos dies frumentum comparabant.

127, 2 *καὶ τὸ λοιπὸν ἐπιφερομένους μὲν δεχόμενοι ἠμύνοντο, ἡσυχαζόντων δὲ αὐτοὶ ὑπεχώρουν*: et imperfecta et participia de saepius repetitis usurpata sunt.

VI 31, 1 *διὰ τὸ πλῆθος ἑκάστων ὧν ἑώρων τῇ ὄψει ἀνεθάρσουν*: quotiescunque rerum multitudinem conspiciebant, animos recipiebant; cf. 63, 2 *κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην* — *ἀνεθάρσουν μᾶλλον*: animi eorum in dies magis confirmabantur. (Cf. contra VII 71, 3 *εἰ μέν τινες ἴδοιέν πῃ τοὺς σφετέρους ἐπικρα-*

τοῦντας, ἀνεθάρσησάν τε ἂν κτλ., quo loco aoristo notio ingressiva [„ad spem redire incipere"] exprimitur, actio autem iterata particula ἄν designatur.)

54, 5 τοὺς πολέμους διέφερον καὶ ἐς τὰ ἱερὰ ἔθυον: imperfectis facta Pisistratidarum per tyrannidis tempus saepius repetita significantur.

99, 4 κατὰ γῆν δ' ἐκ τῆς Θάψου οἱ Ἀθηναῖοι τὰ ἐπιτήδεια ἐπήγοντο: identidem petebant; similiter 103, 2 τὰ δ' ἐπιτήδεια ἐσήγετο ἐκ τῆς Ἰταλίας πανταχόθεν.

103, 3 καὶ κύρωσις μὲν οὐδεμία ἐγίγνετο: quamquam saepius colloquia habebantur, nihil decretum est.

VII 25, 6 sqq. describitur Syracusanorum et Atheniensium velitatio in portu Syracusarum facta: ἔκ τε τῶν ἀκάτων ὤνευον ἀναδούμενοι τοὺς σταυροὺς καὶ ἀνέκλων καὶ κατακολυμβῶντες ἐξέπριον. οἱ δὲ Συρακόσιοι — ἔβαλλον· οἱ δὲ — ἀντέβαλλον; § 7 ἀλλὰ καὶ τούτους κολυμβηταὶ δυόμενοι ἐξέπριον μισθοῦ; § 8 πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα πρὸς ἀλλήλους — ἐμηχανῶντο καὶ ἀκροβολισμοῖς καὶ πείραις παντοίαις ἐχρῶντο; tam imperfecta quam participia sunt iterativa.

VIII 36, 1 καὶ γὰρ μισθὸς ἐδίδοτο ἀρκούντως: impf. de stipendio militibus identidem numerato.

VIII 56, 2 καθάπερ καὶ ὑπ' ἐκείνου ἐδιδάσκετο: quod ei identidem Alcibiades suadebat.

65, 1 οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Πείσανδρον παραπλέοντες — τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσι κατέλυον: impf. respicit varias civitates in quibus factio popularis eversa est. (Cf. contra aor. de una civitate: 64, 2 ἀφικόμενος ἐς τὴν Θάσον τὸν δῆμον κατέλυσεν et V 81, 2 τὸν ἐν Ἄργει δῆμον κατέλυσαν.)

Nunc tractabimus ea verba quorum usus iterativus apud Thucydidem praevalet:

Verbi ἀγγέλλειν impf. pass. manifeste sensu iterativo, i. e. ad nuntios de eadem re saepius sive a diversis partibus allatos significandum, usurpatum est hisce locis: III 16, 2 ὡς αὐτοῖς — ἠγγέλλοντο καὶ αἱ περὶ τὴν Πελοπόννησον νῆες τῶν Ἀθηναίων τὴν περιοικίδα αὐτῶν πορθοῦσαι; VI 32, 3 ἐς δὲ τὰς Συρακούσας ἠγγέλλετο πολλαχόθεν τὰ περὶ τοῦ ἐπίπλου; 45 τοῖς δὲ Συρακοσίοις ἐν τούτῳ πολλαχόθεν — ἠγγέλλετο κτλ. Reliquis duobus locis quibus verbi ἀγγέλλειν imperfectum occurrit (V 63, 2 ἐπειδὴ δὲ καὶ περὶ Ὀρχομενοῦ ἠγγέλλετο ἑαλωκέναι, πολλῷ δὴ μᾶλλον ἐχαλέπαινον καὶ ἐβούλευον εὐθὺς ὑπ' ὀργῆς κτλ.; VII 17, 3 οἱ γὰρ Κορίνθιοι ὡς αὐτοῖς οἱ πρέσβεις ἧκον καὶ τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ βελτίω ἤγγελλον, νομίσαντες οὐκ ἄκαιρον καὶ τὴν προτέραν πέμψιν τῶν νεῶν ποιήσασθαι, πολλῷ μᾶλλον ἐπέρρωντο) itidem pro iterativo haberi potest, ita ut priore loco dictum sit de eodem nuntio iterato sive a diversis partibus allato, posteriore loco de diversis rebus a legatis relatis; tamen utroque loco melius imperfectum sic explanari posse puto, ut imperfecto significetur eum animi affectum, qui nuntio allato mortus esse in apodosi dicitur, jam tum cum nuntius afferretur statim in audientium animos se insinuasse; mea igitur opinione imperfecta sunt descriptiva, non tam ipsum factum nuntiantia quam animi affectum eorum quibus nuntiabatur ante oculos lectoris ponentia.

Compositi quoque ἐσαγγέλλειν impf. pass. ubicunque occurrit iterative usurpatum est de nuntiis a diversis partibus allatis sive saepius repetitis: I 131, 1; V 52, 1; VIII 79, 1.

Compositi ἀναγγέλλειν impf. legitur tantummodo IV 122, 2 οἱ δὲ ἀνήγγελλον τὴν ξυνθήκην, καὶ

ἐδέξαντο πάντες οἱ ἐπὶ Θρᾴκης ξύμμαχοι Λακεδαιμονίων τὰ πεπραγμένα; eo quoque loco impf. iterative dictum est de indutiis singulis civitatibus in Thraciae ora maritima Graecis nuntiatis. (Verba τῷ Βρασίδᾳ, quae in codicibus post ἀνήγγελλον inveniuntur, jure a Stahlio et Hudio deleta mihi videntur, de qua re cf. Steupii, qui ea verba retinet, annotatione ad l.l.)

Compositi ἐπαγγέλλειν unum impf. legitur III 16, 3 κατὰ πόλεις ἐπήγγελλον τεσσαράκοντα νεῶν πλῆθος, quo imperfecto respiciuntur singulae civitates, quibus naves imperatae sunt (impf. iterat.).

De imperfecto et aoristo compositi ἀπαγγέλλειν § 25, de imperfecto et aoristo compositi περιαγγέλλειν § 24, de imperfecto compositi παραγγέλλειν § 6 agetur.

Etiam verbi πυνθάνεσθαι imperfectum ubicunque occurrit iterative usurpatum est de eadem re a diversis partibus cognita: I 95, 3; 132, 4; II 57, 1; III 70, 6; IV 3, 1; VII 4, 7; 18, 1. Sic etiam participium praesentis iterative usurpatum est hisce locis: I 64, 2; III 18, 3; VIII 83, 1; quibus locis quamquam participio (πυνθανόμενοι) actio exprimitur quae actionem primariam praecessit eamque ob causam part. aoristi exspectamus, tamen ad notionem iterativam designandam part. praesentis adhibitum est.

Elocutionis (ξυν)ιέναι ἐς λόγους bis imperfectum occurrit idque de conciliis repetitis: V 17, 2 τὸν χειμῶνα τοῦτον ᾖσαν ἐς λόγους (sc. Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι) „identidem conveniebant"; IV 119, 3 ξυνῇσαν ἐν αὐτῇ (i. e. τῇ ἐκεχειρίᾳ) περὶ τῶν μειζόνων σπονδῶν διὰ παντὸς ἐς λόγους. Contra de una con-

ventione aoristus usurpatur: ἐς λόγους ἦλθον V 37, 2 et VIII 48, 1; ξυνῆλθον ἐς λόγους IV 38, 1. Imperfectum ἦσαν ἐς λόγους quod occurrit III 80, 1 non est iterativum, sed exspectativum [1]).

Verbi φοιτᾶν „identidem se conferre" propter vim ejus iterativam praesenticae tantum formae leguntur; imperfectum igitur, quod 4 occurrit, ubique est iterativum.

Itidem plerumque iterativum est imperfectum verbi διαφθείρειν (act. et pass.), quo imperfecto singuli homines interfecti respiciuntur, velut II 64, 7 πάντας γὰρ — οἱ Λακεδαιμόνιοι ὅσους λάβοιεν — διέφθειρον: quotiescunque quem deprehendebant, interficiebant; ceteri loci quibus impf. act. ita usurpatur sunt hi: II 84, 3; III 98, 2; IV 48, 3. Imperfectum passivi eodem modo adhibetur hisce locis: II 4, 2; 49, 6 [2]); 50, 1; 51, 5; III 82, 8; 83, 4; 98, 1; 112, 6; IV 40, 2; V 56, 4; VII 4, 6; 44, 5; 84, 3. Tantummodo II 92, 3 ὡς ἡ ναῦς διεφθείρετο impf. non est iterativum, sed descriptivum (durat.): „cum id ageretur ut navis periret".

Sic verbi κτείνειν quoque imperfectum ubicunque occurrit est iterativum: I 50, 1; III 111, 3; IV 96, 8; 127, 2; III 81, 5 (pass.). Eodem modo compositi ἀποκτείνειν imperfectum usurpatur III

---

1) cf. supra p. 29 et infra § 6.

2) διεφθείροντο C et sic Hudius; Steupius cum codd. A B E F M legit ἀπεφθείροντο, quae lectio mihi quoque praeferenda videtur ob vocem διεφθείροντο in eadem paragrapho praecedentem, ex qua voce librariorum errorem natum esse facile intelligitur; ceterum ad imperfecti usum explicandum nihil attinet utram lectionem recipiamus.

68, 2 et 81, 2. (De formis dubiis ἔκτεινε et ἀπέκτεινε vid. infra § 26; cf. supra p. 33.)

Huc pertinet etiam impf. verbi ἀπόλλυσθαι quod legitur VII 44, 8 καὶ διωκόμενοι κατά τε τῶν κρημνῶν πολλοὶ ῥίπτοντες ἑαυτοὺς ἀπώλλυντο, quo loco imperfectum singulorus interitus respicit. Contra imperfectum ἀπώλλυντο quod in codd. legitur c. 45, 2 sine dubio cum Cobeto et Hudio mutandum est in aoristum ἀπώλοντο; primum enim eventus ibi pugnae commemoratur, quod solet fieri aoristis constativis, tum etiam aoristus requiritur ad significandam plqpfecti Latini notionem; tota paragraphus, Cobeti conjectura recepta, sic se habet: ἀπέθανον (perierunt) δὲ οὐκ ὀλίγοι αὐτῶν τε καὶ τῶν ξυμμάχων, ὅπλα μέντοι ἔτι πλείω ἢ κατὰ τοὺς νεκροὺς ἐλήφθη (capta sunt)· οἱ γὰρ κατὰ τῶν κρημνῶν βιασθέντες ἅλλεσθαι ψιλοὶ οἱ μὲν ἀπώλοντο (interfecti erant, quod respicit διέφθειραν c. 44, 8), οἱ δ' ἐσώθησαν (periculo evaserant). Non igitur facio cum Classeno qui conservavit codicum lectionem (cf. Cl. ann. ad locum).

Saepe praeeunte in protasi optativo iterativo imperfectum iterativum legitur in apodosi, velut II 79, 6 καὶ ὁπότε μὲν ἐπίοιεν οἱ Ἀθηναῖοι, ἐνεδίδοσαν, ἀναχωροῦσι δ' ἐνέκειντο καὶ ἐσηκόντιζον (part. ἀναχωροῦσι idem valet quod ὁπότε ἀναχωροῖεν); similiter III 21, 4; 68, 2; protasis incipit a particula ὅπῃ: II 100, 5 et III 1, 1; a particula ᾗ (quacunque): II 100, 6 et IV 33, 2; ab elocutione εἴ τις (ejusque casibus): III 23, 2; 81, 2; VI 70, 3 et 8. Sic saepe quoque imperfectum in apodosi occurrit praeeunte in protasi elocutione iterativa ὡς ἕκαστος (ejusque casibus; cf. IV 4, 2), sive pronomine ὅσοι (ejusque

casibus; cf. VIII 14, 1); tum protaseos praedicatum est optativus iterativus (velut locis proxime laudatis), sive, aeque ac apodoseos, imperfectum iterativum, velut II 52, 2 *ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἐδύνατο* et IV 35, 2 *ὅσοι μὲν ὑποχωροῦντες ἐγκατελαμβάνοντο, ἀπέθνῃσκον.*

Huc pertinent etiam hi duo loci: IV 28, 3 *οἱ δέ,* — *ὅσῳ μᾶλλον ὁ Κλέων ὑπέφευγε τὸν πλοῦν καὶ ἐξανεχώρει τὰ εἰρημένα, τόσῳ ἐπεκελεύοντο τῷ Νικίᾳ κτλ.*; VIII 24, 4 *ὅσῳ ἐπεδίδου ἡ πόλις αὐτοῖς ἐπὶ τὸ μεῖζον, τόσῳ καὶ ἐκοσμοῦντο ἐχυρώτερον*; quibus locis tam in protasi quam in apodosi imperfectis exprimuntur actiones in singulis repetitionibus magis magisque intentae.

Imperfectum semper iterativum est, ubi legitur adjuncta particula *αἰεί*. Cui voci ubi tempus historicum adjungitur, plerumque id tempus est imperfectum (iterativum). Loci apud nostrum huc pertinentes sunt hi: I 2, 3 et 5; 13, 5; 18, 1; 60, 2; 107, 3; II 15, 1; 22, 2; 88, 2; III 23, 2; 64, 4; 77, 1; IV 32, 4; 53, 2; 55, 2; 78, 2; V 39, 2; VI 53, 3; 88, 1; 99, 1 (quo loco propter vocem *αἰεί* cum Vaticano impf. *παρέβαλλον* legendum est, non aor. *παρέβαλον* quem ceteri codd. exhibent; omnes editores, quod sciam, imperfectum receperunt); VII 71, 3; VIII 69, 1; 85, 3. Huc pertinent etiam duo loci quibus plqpfectum voci *αἰεί* adjunctum est: IV 56, 2 *ἕστασαν* (sic enim lego cum Steupio et quibusdam codd., non *ἑστᾶσιν* quod Hudius e ceteris codd. recepit) et 80, 3 *καθειστήκει*; plqpfecti enim vis temporalis eodem redit atque imperfecti. Semel tantum, nisi fallor, voci *αἰεί* aoristus adjunctus est: I 18, 3 *ὥστε ἀπὸ τῶν Μηδικῶν ἐς τόνδε αἰεὶ τὸν πόλεμον τὰ μὲν*

σπενδόμενοι, τὰ δὲ πολεμοῦντες — εὖ παρεσκευάσαντο τὰ πολέμια καὶ ἐμπειρότεροι ἐγένοντο μετὰ κινδύνων τὰς μελέτας ποιούμενοι, quo loco aoristus complexivus bene usurpatus est, quia Thucydides in initio operis sui id agit ut strictim tangat capita rerum ex historia Graeca quae bellum Peloponnesiacum antecessit, quo fit ut in hac operis parte multi aoristi constativi (complexivi) occurrant.

Ad extremum nonnullos locos laudabo quibus imperfecto iterativo mores sive instituta significantur quae statis temporibus iterantur; loci sunt hi:

III 58, 4 — οὓς ἀποθανόντας ὑπὸ Μήδων καὶ ταφέντας ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ἐτιμῶμεν κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐσθήμασί τε καὶ τοῖς ἄλλοις νομίμοις, ὅσα τε ἡ γῆ ἀνεδίδου ὡραῖα, πάντων ἀπαρχὰς ἐπιφέροντες.

De ludis Apollinaribus qui in insula Delo olim quinto quoque anno celebrabantur agitur III 104, 3 sqq.: ἦν δέ ποτε καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδος ἐς τὴν Δῆλον τῶν Ἰώνων — · ξύν τε γὰρ γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐθεώρουν — καὶ ἀγὼν ἐποιεῖτο αὐτόθι καὶ γυμνικὸς καὶ μουσικός, χορούς τε ἀνῆγον αἱ πόλεις; § 5 ἐφοίτων; § 6 ἔπεμπον.

Quomodo insula Cythera a Lacedaemoniis administraretur sic describitur IV 53, 2 — καὶ Κυθηροδίκης ἀρχὴ ἐκ τῆς Σπάρτης διέβαινεν αὐτόσε κατὰ ἔτος, ὁπλιτῶν τε φρουρὰν διέπεμπον αἰεὶ κτλ.

VI 56, 2 περιέμενον δὲ Παναθήναια τὰ μεγάλα, ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγίγνετο ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν πέμψοντας ἀθρόους γενέσθαι: impf. ἐγίγν. respicit singulas Panathenaeorum celebrationes.

VIII 66, 1 δῆμος μέντοι ὅμως ἔτι καὶ βουλὴ — ξυνελέγετο: comitia et senatus statis temporibus convocabantur.

---

§ 3. De imperfecto descriptivo[1]).

Ad imperfecti descriptivi usum illustrandum primum aliquot exempla afferre mihi liceat:

I 138, 3 Themistoclis ingenium breviter describitur: ἦν γὰρ ὁ Θεμιστ. — ἄξιος θαυμάσαι (imperfecto ejus vita nobis repraesentatur), contra ib. in fine καὶ τὸ ξύμπαν εἰπεῖν — κράτιστος δὴ οὗτος αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα ἐγένετο (aoristo constativo judicium scriptoris memoratur).

II 49 sqq. multis imperfectis describitur pestilentia qua Athenae anno quadringentesimo tricesimo a. Chr. n. conflictabantur; animadvertendum est in ea descriptione, quotiescunque casus peculiaris ad illustrandam conditionem universam memoratur, aoristum constativum adhiberi, velut 50, 1 τὸ εἶδος τῆς νόσου τά τε ἄλλα χαλεπωτέρως ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν προσέπιπτεν ἑκάστῳ καὶ ἐν τῷδε ἐδήλωσε μάλιστα κτλ.; 52, 1 ἐπίεσε δ' αὐτοὺς — καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ: aoristo novum incommodum memoratur, cujus singuli effectus in iis quae sequuntur imperfectis describuntur: ἐγίγνετο, ἔκειντο, ἐκαλινδοῦντο etc.

De loco II 84, 3 cf. supra p. 26.

III 81, 3 sqq. describuntur atrocia facinora quae a factione populari in insula Corcyra aliquamdiu perpetrabantur, quo loco, aeque ac in pestilentiae descriptione, conditio generalis imperfectis describitur, facta autem singularia aoristis memorantur: § 4

---

1) Cf. supra p. 26; imprimis refero ad id quod ibidem dixi multa imperfecta quae descriptivis annumeravi aequo jure pro iterativis (sive durativis) haberi posse.

ἡμέρας τε ἑπτὰ — Κερκυραῖοι σφῶν αὐτῶν τοὺς ἐχθροὺς δοκοῦντας εἶναι *ἐφόνευον* —, *ἀπέθανον* δέ τινες καὶ ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα; in ea paragrapho quae sequitur primum complexive memoratur πᾶσά τε ἰδέα *κατέστη* θανάτου, καὶ — οὐδὲν ὅ τι οὐ *ξυνέβη*; tum imperfectis civium mutuae caedes depinguntur: καὶ γὰρ πατὴρ παῖδα *ἀπέκτεινε* καὶ ἀπὸ τῶν ἱερῶν *ἀπεσπῶντο* καὶ πρὸς αὐτοῖς *ἐκτείνοντο*; ad extremum casus peculiaris refertur aoristo: οἱ δέ τινες καὶ — *ἀπέθανον*.

III 106 exercitus iter faciens per varias regiones describitur tribus imperfectis *ἐχώρουν* (§§ 1, 2, 3).

108, 3 ἐπαναχωροῦντες δὲ ὡς ἑώρων τὸ πλέον νενικημένον καὶ οἱ ἄλλοι Ἀκαρνᾶνες σφίσι προσέκειντο, χαλεπῶς *διεσῴζοντο* ἐς τὰς Ὄλπας: imperfecto (quod redit VII 34, 6) repraesentantur nobis varia momenta quae receptum constituunt; contra verbi διασῴζεσθαι aoristo tantummodo nuntiatur aliquem ad perfugium incolumem pervenisse, velut III 85, 2; IV 96, 8. Cum imperfecto διεσῴζοντο omnino conferendum est imperfectum quod legitur VII 23, 2 καὶ ἐκ μὲν τοῦ πρώτου ἁλόντος χαλεπῶς οἱ ἄνθρωποι — *ἐξεκομίζοντο* ἐς τὸ στρατόπεδον (homines perfugium petentes describuntur).

IV 90, 2 describitur, quomodo Delium ab Atheniensibus muniretur, imperfectis: *ἔσκαπτον*, *ἀνέβαλλον*, *ἐσέβαλλον*, *ἐμετεώριζον*; tum quasi obiter descriptioni adicitur aoristus: πύργους τε ξυλίνους *κατέστησαν* κτλ.

Imperfecto *ἐπλήρουν* (τὰς ναῦς) quod legitur VI 30, 1 multisque aliis locis describuntur aliae post alias copiarum partes naves conscendentes.

VI 43, 1 τοσῇδε ἤδη τῇ παρασκευῇ Ἀθηναῖοι ἄραντες ἐκ τῆς Κερκύρας ἐς τὴν Σικελίαν *ἐπεραιοῦντο*; imper-

fecto, aeque ac imperfectis quae leguntur c. 44, 1 *διέπλει* et *ξυνδιέβαλλε*, describuntur variae deinceps copiarum partes in Siciliam traicientes.

VII 23, 3 *αἱ γὰρ τῶν Συρακοσίων — νῆες — οὐδενὶ κόσμῳ ἐσέπλεον*: quamquam verbum *ἐσπλεῖν* aoristum, ut ita dicam, praefert imperfecto [1]), tamen hoc loco imperfectum usurpatur ad naves nullo ordine portum intrantes describendas.

75, 1 *ἡ ἀνάστασις ἤδη τοῦ στρατεύματος — ἐγίγνετο*: exercitus profectio nobis repraesentatur, ejusque momenta singula in iis quae sequuntur fusius describuntur; eodem modo imperfectum *ἐγίγνετο* adhibitum est VI 30, 1.

ib. § 7 *οἷς — ξυνέβη — ἀντὶ εὐχῆς καὶ παιάνων, μεθ' ὧν ἐξέπλεον, πάλιν τούτων τοῖς ἐναντίοις ἐπιφημίσμασιν ἀφορμᾶσθαι*: pro imperfecto aoristum exspectamus, quia Latine plqpfectum adhibendum foret „profecti erant"; tamen imperfectum usurpatum est, quo animis lectorum ipsa profectio magnifica, quae tam male verterat, repraesentaretur.

VIII 94, 3 *καὶ οἱ μὲν ἐς τὰς παρούσας ναῦς ἐσέβαινον, οἱ δὲ ἄλλας καθεῖλκον, οἱ δέ τινες ἐπὶ τὰ τείχη — παρεβοήθουν*: imperfectis cives diversa munera simul obeuntes vivide depinguntur.

Verbi *τάσσειν* ejusque compositorum imperfectum, ubicunque occurrit, est descriptivum. Verbi simplicis impf. hisce tantum locis occurrit: III 107, 3 *ἐτάσσοντο ἀμφότεροι ὡς ἐς μάχην*: impf. aciei instructionem nobis repraesentat; similiter IV 93, 1 (*ὁ Παγώνδας*) *ἔτασσέ τε καὶ παρεσκευάζετο ὡς ἐς μάχην*; VII 74, 2

---

1) de qua re pluribus infra § 24.

ᾗ ἐδόκει *ἐτάσσοντο* (quo loco impf. simul habet vim iterativam). Indicativus aoristi, qui multis locis (act., med., pass.) legitur, ipsam instructionem non depingit, nil nisi aciem esse instructam nuntiat (aor. constat.), velut III 77, 3 ἰδόντες δὲ οἱ Πελοποννήσιοι τὴν ταραχὴν εἴκοσι μὲν ναυσὶ πρὸς τοὺς Κερκυραίους *ἐτάξαντο*, ταῖς δὲ λοιπαῖς κτλ.

Ad bene illustrandam imperfecti vim descriptivam et aoristi vim constativam conferemus omnes locos quibus imperf. et aor. compositorum *παρατάσσειν* et *ἀντιπαρατάσσεσθαι* occurrunt. Imperfecta leguntur hisce locis: VII 5, 1 ὁ δὲ Γύλιππος ἅμα μὲν ἐτείχιζε — ἅμα δὲ *παρέτασσεν* ἐξάγων αἰεὶ πρὸ τοῦ τειχίσματος τοὺς Συρακοσίους καὶ τοὺς ξυμμάχους· καὶ οἱ Ἀθηναῖοι *ἀντιπαρετάσσοντο*: imperfecto παρέτασσεν describitur quomodo copiarum aliae post alias partes pro vallo instruerentur, cui imperfecto respondens imperfectum ἀντιπαρετ. significat Athenienses, sicut viderent Syracusanos singulas copiarum partes collocantes, sic suas quoque copias ex adverso instruxisse (cf. ann. Cl. ad locum).

Fere idem valet V 59, 2 ὡς ἑώρων τὰ ἑαυτῶν δῃούμενα, ἐς μάχην *παρετάσσοντο*, ἀντιπαρεσκευάζοντο δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι.

I 48, 3 ὡς δὲ κατεῖδον ἀλλήλους, *ἀντιπαρετάσσοντο* i. e. utrimque acies instruebatur, quae acies fusius describitur in iis quae sequuntur: ἐπὶ μὲν τὸ δεξιὸν κέρας κτλ.

VII 37, 3 (sicut loco supra laudato VIII 94, 3) imperfectis describuntur alii alia simul capessentes: οἱ μὲν — τοῖς προσιοῦσιν *ἀντιπαρετάσσοντο*, οἱ δὲ — *ἀντεπεξῇσαν*, ἄλλοι δὲ ναῦς *ἐπλήρουν* κτλ. Hoc loco, aeque ac duobus locis quos proxime laudavi,

imperfecta descriptiva sunt simul incohativa [1]): acies instrui coepta est (et in instruendo duces aliquamdiu versabantur).

Indicativus aor. verbi *παρατάσσειν* hisce locis occurrit, ubique cum significatione mere constativa: VII 3, 4 et 69, 3 (act.); V 65, 1 (med.). Vis aoristi constativa clare elucet in loco VII 3, 1 *οἱ Ἀθηναῖοι αἰφνιδίως τοῦ τε Γυλίππου καὶ τῶν Συρακοσίων σφίσιν ἐπιόντων ἐθορυβήθησαν μὲν τὸ πρῶτον, παρετάξαντο δέ*: quamquam perturbati sunt, tamen acies instructa est; factum memoratur, instructio non describitur.

Verbi *ἀντιπαρατάσσεσθαι* ind. aor. legitur tantum I 63, 2.

Descriptivum imperfectum ibi quoque legitur ubi loci situs describitur, qua descriptione ea quae geruntur lectoribus planiora fiant. Quo pertinent hi loci: III 107, 3 *χαράδρα δ' αὐτοὺς μεγάλη διεῖργεν* (separabat); V 64, 4 *ἀλλὰ τοῖς μὲν — οὐ ῥᾴδιον ἦν — διελθεῖν τὴν πολεμίαν· ξυνέκληε γὰρ διὰ μέσου* i. e. haec enim regio media illis opposita erat; VI 66, 1 *τῇ μὲν γὰρ τειχία τε καὶ οἰκίαι εἶργον καὶ δένδρα καὶ λίμνη, παρὰ δὲ τὸ κρημνοί* (itinere intercludebant); VIII 90, 4 *ἐπ' αὐτὸν γὰρ τὸν — πύργον ἐτελεύτα τό τε παλαιὸν τὸ πρὸς ἤπειρον καὶ τὸ ἐντὸς τὸ καινὸν τεῖχος* (ad ipsam — turrem pertinebat).

Restat ut loquar de aliquot locis quibus quis primo obtutu aoristum potius quam imperfectum (sive praesens) exspectaverit, ubi formis *συντέλειαν* exprimentibus magis locus esse videri possit. Omnibus autem iis locis quos volo hoc commune est, quod scriptor non actionis perfectionem sive even-

---

1) vid. supra p. 26 sq.

tum significare vult, sed ipsam actionem eventus ratione non habita exprimere studet [1]). Huc pertinent hi loci:

II 71, 2 Παυσανίας — θύσας ἱερὰ καὶ ξυγκαλέσας πάντας τοὺς ξυμμάχους ἀπεδίδου Πλαταιεῦσι, γῆν καὶ πόλιν τὴν σφετέραν ἔχοντας αὐτονόμους οἰκεῖν κτλ., quo loco Steupius annotat: „ἀπεδίδου Imperf. der dauernden Fortwirkung, wie sie auch im inf. praes. οἰκεῖν ausgesprochen ist". Infinitivo praesentis οἰκεῖν re vera conditio continuata significatur (infin. aor. qui sequitur στρατεῦσαι ingressivus est, sicut saepius verbi στρατεύειν formae aoristicae vim ingressivam habent: „expeditionem inire"). Quod autem ad impf. ἀπεδίδου attinet, hoc quidem recte sensit v. c. Steupius nostro loco pro imperfecto ἀπεδίδου („verlieh die Vergünstigungen") aoristum potius expectari, quia agitur de beneficiis certo temporis momento in Plataeenses collatis. Sed id quod haec beneficia in omne tempus fruenda data sunt, mihi quidem ad imperfecti usum omnino nihil facere videtur. Ego potius imperfecto graviter et sollemniter (θύσας — ξυγκαλέσας —) a Plataeensium legatis describi arbitror quanta olim a Lacedaemoniis civitati Plataeensium tributa sint, quo magis appareat quanta injuria nunc ab Archidamo suisque afficiantur (impf. descr.); eadem res cum simpliciter memoratur, aoristo significatur (§ 3): τάδε μὲν ἡμῖν πατέρες οἱ ὑμέτεροι ἔδοσαν κτλ.

Fere idem valet de loco III 58, 5 Παυσανίας μὲν

---

1) Cf. Blass. l. l. p. 428 „—Und ferner, wird die Handlung als Handlung angeschaut, so ist auch dafür das Präsens, bzw. Imperfekt, die Form."

γὰρ ἔθαπτεν αὐτοὺς νομίζων ἐν γῇ τε φιλίᾳ τιθέναι καὶ παρ᾽ ἀνδράσι τοιούτοις, ubi Steupius, similia de hoc loco judicans ac de loco proxime tractato, annotat: „ἔθαπτεν Impf. wegen der Beziehung auf die dauernde Wirkung in der Grabesruhe: wie 2, 71, 2 ἀπεδίδου οἰκεῖν". Imperfectum hic quoque descriptivum videtur: non hoc Plataeenses memorare curant Lacedaemonios qui olim bello Persarum ceciderint a rege Pausania sepultos esse, sed judicibus Lacedaemoniis in animum revocare student qua fiducia olim Pausanias Lacedaemonios mortuos in agro Plataeensi sepulcro composuerit, itaque describitur ipsa sepeliendi actio, quo fit ut etiam praesentis infinitivus (τιθέναι) de eadem actione paulo infra usurpetur, non aoristi.

IV 16, 1 δεξαμένων δὲ τῶν στρατηγῶν τὸν λόγον ἐγίγνοντο σπονδαὶ τοιαίδε (sequitur ipsa indutiarum formula): impfecto ἐγίγνοντο describi puto quomodo inter Lacedaemonios et Athenienses post varia colloquia tandem indutiae convenerint; contra post indutiarum formulam relatam factum simpliciter memoratur aoristo (§ 3): αἱ μὲν σπονδαὶ ἐπὶ τούτοις ἐγένοντο κτλ.; similiter ipsa paciscendi actio imperfecto exprimi videtur IV 65, 2 (ἐποιοῦντο τὴν ὁμολογίαν „so schlossen sie nun wirklich die Übereinkunft" St.) et VIII 36, 2 (καὶ ἄλλας [sc. ξυνθήκας] ἔτι Θηραμένους παρόντος ἐποίουν· καὶ εἰσὶν αἵδε.).

VI 31, 1 καὶ ἐν τῷ παρόντι καιρῷ, ὡς ἤδη ἔμελλον μετὰ κινδύνων ἀλλήλους ἀπολιπεῖν, μᾶλλον αὐτοὺς ἐσῄει τὰ δεινὰ ἢ ὅτε ἐψηφίζοντο πλεῖν: exspectabamus aoristum

1) De discrimine aoristicarum et praesenticarum verbi ψηφίζεσθαι formarum pluribus infra § 11.

(effectivum) „cum decreverunt", respicitur enim id quod de eadem re dicitur c. 26, 1 ἐψηφίσαντο κτλ.; et re vera si simpliciter decretum memoratur, ubique aoristus adhibetur. Sed nostro loco imperfectum usurpatur quo ipsa decernendi actio significetur i. e. quo animorum ipso suffragia ferendi tempore habitus in memoriam revocetur.

Huc ii quoque loci pertinent quibus imperfectum verbi τελευτᾶν occurrit ad finem anni sive anni temporum designandum. Loci sunt hi:

τὸ — ἔτος τῷ πολέμῳ[1]) ἐτελεύτα: II 47, 1; 70, 5; 103, 2; III 25, 2; 88, 4; 116, 3; IV 51; 116, 3; 135; V 39, 3; 51, 2; 56, 5; 81, 2; 83, 4; VI 7, 4; 93, 4; VII 18, 4, VIII 6, 5; 60, 3.

τὸ θέρος (τοῦτο) ἐτελεύτα: II 92, 7; III 86, 5; 102, 7; IV 49; V 12, 2; 50, 5; 75, 6; 82, 6; 115, 4; VI 62, 5; VII 9; VIII 1, 4; 28, 5.

ὁ χειμὼν ἐτελεύτα (οὗτος): II 103, 2; III 25, 2; 88, 4; IV 51; 135; V 51, 2; 56, 5; 83, 4; VI 7, 4; 93, 4; VII 18, 4; VIII 6, 5; 60, 3.

Vir clarissimus Ahlberg[2]) nostrum imperfectum dicit prorsus idem valere quod indicativum aoristi, simplex enim factum eo memorari; imperfectum igitur ἐτελεύτα haberi posse inter reliquias linguae Graecae aetatis antiquioris qua ad res praeterito tempore gestas memorandas unice imperfectum, non aoristus, in usu fuerit. Mea autem opinione nequaquam res sic se habet; imperfecto ἐτελεύτα minime simplex factum memorat scriptor: ipsum anni sive anni temporis finem indicare minime curat; prae-

1) Pro dativo semel genit. τοῦ πολέμου occurrit: II 47, 1.

2) in commentatione „Några anmärkningar etc" p. 30 sqq.

terea aoristo istiusmodi locis omnino locus non est, quia aoristo ἐτελεύτησε ipsum desinendi momentum designatur, velut II 41, 5; IV 50, 3; V 10, 11, quibus locis aor. significat „mortuus (-i) est (sunt)". Equidem puto imperfectum ἐτελεύτα vertendum esse: „dum haec geruntur, annus (anni tempus) ad finem vergebat". Non ipsum desinendi momentum indicatur, sed describitur quomodo inter eas res quae modo sunt narratae et eas res quae continuo narrabuntur annus ad finem prolapsum sit. Eodem modo imperfectum adhibetur apud Xenophontem Hell. I 1, 37 καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν κτλ. Eodem pertinet quod anni temporis initium imperfecto designatur apud nostrum III 18, 5 καὶ ὁ χειμὼν ἤρχετο γίγνεσθαι et V 24, 2 τὸ θέρος ἦρχε, cum quibus locis rursus conferri potest Xen. Hell. I 2, 14 καὶ χειμὼν ἐπῄει κτλ. Eo fit ut, cum in ejusmodi locutionibus participium requiritur, semper praesentis participium, non aoristi, sit in usu. Huc pertinent hi loci:

τελευτῶντος τοῦ μηνός: II 4, 2.
ἐν τῷ αὐτῷ θέρει τελευτῶντι: VII 9, 1.
τοῦ ἦρος ἀρχομένου: VII 19, 1; 20, 1.
τοῦ θέρους ἀρχομένου: II 47, 2; V 52.
τοῦ χειμῶνος ἀρχομένου: II 93, 1; 95, 1; IV 89, 1; V 76, 1.
ἀρχομένου τοῦ πολέμου: III 17, 1; 86, 2; V 26, 4.

Liceat mihi occasione data breviter tractare duos locos non quidem ex ipsius Thucydidis verbis depromptos, qui tamen apud nostrum in pactorum formulis inveniuntur. In loco IV 119, 1 ταῦτα ξυνέθεντο καὶ ὤμοσαν Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι Ἀθηναίοις καὶ τοῖς ξυμμάχοις κτλ. aoristis constativis illud

factum quod indutiae convenerunt memoratur. Contra ibid. § 2 imperfecta leguntur: *ξυνετίθεντο δὲ καὶ ἐσπένδοντο Λακεδαιμονίων μὲν οἵδε* (sequuntur nomina legatorum Lacedaemoniorum et Atheniensium). Steupius ad eum locum hoc annotat: „*ξυνετίθεντο καὶ ἐσπένδοντο*, Imperff. vor der Reihe der Namen, bei deren jedem der Akt gewissermassen wiederholt wird". Steupius igitur ea imperfecta pro iterativis habere videtur; mea autem opinione imperfecta sunt descriptiva: ipsae paciscendi caerimoniae sollemniter describuntur, dum § 1 aoristis non ipsae actiones respiciuntur, sed eventus designatur. Eadem ratiö intercedit inter aoristos qui leguntur V 18, 1 *σπονδὰς ἐποιήσαντο Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι κατὰ τάδε καὶ ὤμοσαν κατὰ πόλεις* et imperfecta quae de eodem pacto usurpantur c. 19, 2 *ὤμνυον δὲ οἵδε καὶ ἐσπένδοντο* (sequuntur legatorum nomina).

---

§ 4. De imperfecto incohativo[1]).

Primum aliquot exempla quae apud nostrum passim occurrunt afferre mihi liceat:

I 26, 5 *ὡς δ' οὐκ ἐπείθοντο, οἱ μὲν Κερκυραῖοι — ἐπολιόρκουν τὴν πόλιν* i. e. „urbem obsidere coeperunt"; aeque incohativum est id impf. quod sequitur (c. 27, 1): *Κορίνθιοι δὲ — παρεσκευάζοντο στρατιάν* i. e. „exercitum ornare coeperunt".

116, 3 *Περικλῆς δὲ λαβὼν ἑξήκοντα ναῦς — ᾤχετο*

---

1) Cf. supra p. 26 sq.

κατὰ τάχος ἐπὶ Καύνου κτλ. i. e. „festinanter iter instituit".

II 93, 4 *ὡς δὲ ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐχώρουν εὐθύς* „statim contendere coeperunt"; similiter III 112, 2 *ὁ δὲ Δημοσθένης ἐχώρει — ἀπὸ ἑσπέρας εὐθύς* et V 58, 2 *καὶ οἱ Ἀργεῖοι αἰσθόμενοι ἅμα ἕῳ ἐχώρουν.*

100, 6 *ὥστε τέλος ἡσυχίαν ἦγον* „ita ut ad extremum quieti facti sint (et aliquamdiu quieti essent)".

III 22, 5 *καὶ αὐτίκα βοὴ ἦν* i. e. clamor sublatus est, qui clamor aliquamdiu perdurabat. Si quis autem nihil dicere velit nisi clamorem esse sublatum, dicendum erit *βοὴ ἐγένετο.*

36, 4 *καὶ τῇ ὑστεραίᾳ μετάνοιά τις εὐθὺς ἦν αὐτοῖς* i. e. statim paenitere eos coepit (et aliquamdiu paenitebat); sic saepe imperfectum incohativum animi affectum non tantum ortum esse sed durasse indicat, velut VI 46, 2 *οἱ στρατηγοὶ εὐθὺς ἐν ἀθυμίᾳ ἦσαν* „statim animos demiserunt (et aliquamdiu animo erant demisso)"; huc pertinet etiam locutio *εὐθὺς ἑτοῖμοι ἦσαν*: IV 122, 4; VIII 92, 6.

III 72, 3 *ἀφικομένης δὲ νυκτὸς ὁ μὲν δῆμος ἐς τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὰ μετέωρα τῆς πόλεως καταφεύγει, καὶ αὐτοῦ ξυλλεγεὶς ἱδρύθη καὶ τὸν Ὑλλαϊκὸν λιμένα εἶχον* i. e. „occuparunt et aliquamdiu obtinebant"; similiter IV 103, 5 *καὶ τὰ ἔξω τῶν Ἀμφιπολιτῶν εὐθὺς εἶχεν.* Utroque loco si noster nil nisi „occupavit (-runt)" dicere voluisset, aoristo ingressivo *ἔσχεν* (*-ον*) usus esset (qui aoristus ingressivus hisce locis legitur: I 12, 3; 23, 1; 114, 3; III 61, 2; IV 49; 95, 3; V 17, 2; VI 2, 1; 54, 2; 76, 3; VIII 6, 3; 23, 3; 87, 5; 106, 1).

IV 110, 2 — *οἱ* — *ἀναβάντες* . . . . *τὴν κατὰ Καναστραῖον πυλίδα διῄρουν* „portam subruere coepe-

runt" („sie machten sich daran, das Thor zu sprengen" St.); portam jacere significatur plqpfecto (c. 111, 2): ὡς αὐτοῖς ἥ τε πυλὶς διῄρητο κτλ. Cum nostro ipfto conferendum est imperfectum καθῃρεῖτο quod legitur loco supra (p. 27) laudato V 39, 3.

113, 1 οἱ δὲ πράσσοντες καὶ οἷς ταῦτα ἤρεσκε μετὰ τῶν ἐσελθόντων εὐθὺς ἦσαν „statim iis qui irruperant se adjunxerunt"; similiter VI 88, 4 εὐθὺς μετὰ τῶν Ἀθηναίων ἦσαν.

V 64, 5 καὶ στρατοπεδευσάμενοι πρὸς τῷ Ἡρακλείῳ ἐδῄουν τὴν γῆν „castris positis regionem populari coeperunt".

De imperfecto ἐξέτρεπεν quod legitur V 65, 4 jam supra (p. 26 sq.) diximus.

V 74, 2 οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι προθέμενοι τῶν πολεμίων νεκρῶν τὰ ὅπλα τροπαῖον εὐθὺς ἵστασαν καὶ τοὺς νεκροὺς ἐσκύλευον κτλ. i.e. „statim tropaeum erigere et mortuos spoliare instituerunt": imperfecto ἵστασαν adverbio εὐθύς adjuncto describitur qua alacritate Lacedaemonii victores statim victoriae signum ponere coeperint; imperf. igitur est incohativum; quare quaesitior quam verior mihi videtur interpretatio Classeni (in ann. ad l.l.), quae sic audit „ἵστασαν Imperfectum: perfect wurde die Aufstellung des τροπαῖον erst durch die Anerkennung der Feinde etc.". Cum nostro loco conferendum est id quod legitur VI 70, 3 ἐπακολουθήσαντες δὲ — πάλιν ἐπανεχώρουν καὶ τροπαῖον ἵστασαν, ubi utrumque imperfectum est incohativum: „se recipere et tropaeum erigere instituerunt" (recte St. „sie wandten sich zur Errichtung des Tropäums"). Aliter se habet impf. ἀνθίστασαν τροπαῖον I 105, 6 (cf. infra § 5).

75, 5 καὶ διελόμενοι τὴν πόλιν περιετείχιζον: „in ali-

quot manus divisi urbem circumvallare coeperunt".

VI 51, 3 *ἐπειδὴ ἀφίκοντο, κατεσκευάζοντο τὸ στρατόπεδον*: „primo adventu castra instruere coeperunt" („sie gingen daran, das Lager einzurichten etc." St.).

62, 1 *μετὰ δὲ ταῦτα οἱ λοιποὶ τῶν Ἀθηναίων στρατηγοὶ ἐν τῇ Σικελίᾳ, δύο μέρη ποιήσαντες τοῦ στρατεύματος* —, *ἔπλεον ξύμπαντι ἐπὶ Σελινοῦντος κτλ.* i. e. „navigare instituerunt", de qua navigatione in iis quae sequuntur fusius agitur; sic saepe imperfectum verbi *πλεῖν* ejusque compositorum usurpatur, velut II 25, 3; VII 26, 1; VIII 32, 1.

69, 1 *ὁ μὲν Νικίας τοιαῦτα παρακελευσάμενος ἐπῆγε τὸ στρατόπεδον εὐθύς* „statim signa movit".

VI 104, 2 *καὶ τὰς ναῦς ὅσαι ἐπόνησαν ὑπὸ τοῦ χειμῶνος ἀνελκύσας ἐπεσκεύαζεν* „reficere coepit" (quod opus perfectum memoratur VII 1, 1 *ἐπεὶ ἐπεσκεύασαν τὰς ναῦς*).

VII 43, 5 *ἄλλοι δὲ ἀπὸ τῆς πρώτης τὸ παρατείχισμα τῶν Συρακοσίων ᾕρουν τε καὶ τὰς ἐπάλξεις ἀπέσυρον* „munimentum arripuerunt (non: ceperunt = *εἷλον*) et propugnacula divellere coeperunt.

VIII 1, 4 *καὶ ὡς ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐποίουν ταῦτα* i. e. „statim exsequi ea quae placuerant coeperunt" (cum quo loco conferendus est locus quem supra p. 78 laudavi II 93, 4).

95, 4 *ὡς οὖν ἐπέπλει, εὐθὺς ἐπλήρουν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι τὰς ναῦς, οἰόμενοι σφίσι παρὰ ταῖς ναυσὶ τοὺς στρατιώτας εἶναι* i. e. statim naves militibus complere paraverunt, cui actioni id morae erat quod milites non aderant apud naves (*οἱ δ' ἔτυχον κτλ.*); cf. III 115, 4 *καὶ ἐπλήρουν ναῦς τεσσαράκοντα οἱ Ἀθηναῖοι*: „instruere coeperunt"; apparet e loco IV 2, 2

ὥσπερ παρεσκευάζοντο Athenienses vere proximo adhuc occupatos fuisse in iis navibus instruendis.

Verbi ἅπτεσθαι imperfectum ubicunque occurrit est incohativum, quod ex ejus verbi significatione facile intelligitur. Loci sunt hi: I 118, 2 ἡσύχαζόν τε τὸ πλέον τοῦ χρόνου — πρὶν δὴ ἡ δύναμις τῶν Ἀθηναίων σαφῶς ἤρετο καὶ τῆς ξυμμαχίας αὐτῶν ἥπτοντο i. e. „donec Atheniensium opes aperte se attollere ipsique socios Lacedaemoniorum petere coeperunt" (quo loco etiam impf. ἤρετο incohativum est); reliquis locis „capessere" nostrum verbum significat: II 8, 1 (τοῦ πολέμου); II 17, 4 (τῶν πρὸς τὸν πόλεμον); VIII 92, 4 (τῶν πραγμάτων). Indicativus aoristi qui legitur I 97, 2 et II 48, 2 est constativus.

Itidem incohativa sunt imperfecta verbi ἔχεσθαι quae leguntur I 49, 7 τότε δὴ ἔργου πᾶς εἴχετο ἤδη et VIII 67, 1 οἱ περὶ τὸν Πείσανδρον ἐλθόντες εὐθὺς τῶν λοιπῶν εἴχοντο: utroque loco verbum ἔχεσθαι idem valet quod ἅπτεσθαι „capessere". (Sed V 49, 5 Ἠλεῖοι δὲ τοῦ αὐτοῦ λόγου εἴχοντο „in eadem sententia perseverabant" impf. non est incohat., sed simpliciter durativum.)

Sic quoque imperfectum verbi θεῖν, ubicunque occurrit, est incohativum, cum actionis continuatione simul ingressum actionis significans. Loci sunt hi: III 111, 2; IV 67, 4; 112, 1; V 10, 6 (ubique ἔθεον [ἔθει] δρόμῳ). (Infinitivus quoque praesentis qui legitur VI 100, 1, θεῖν δρόμῳ, vi incohativa praeditus est.)

E compluribus exemplis quae supra laudavi apparet saepe cum adverbio εὐθύς imperfectum conjungi, quod primo obtutu mirum videri potest; in universum enim momentanea aoristo significantur. Apparet tamen scriptores amare ejusmodi particulis

et locutionibus, quales sunt εὐθύς, κατὰ τάχος similesque voces, imperfectum adjungere et quidem plerumque sensu incohativo (quod semper usu venit in imperfecto cum particula εὐθύς conjuncto), saepe autem quoque ut celeritas actionis vivide depingatur (impf. descr.)[1]. Tamen haud raro aoristus quoque hujuscemodi locis usurpatur, cum factum simpliciter nuntiatur, velut VIII 8, 4 ὡς δὲ ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ διεκόμισαν εὐθὺς μίαν καὶ εἴκοσι ναῦς: de actione traiciendi nil amplius memoratur.

Propter ea quae modo notavi haud alienum a proposito nostro judicavi omnes locos recensere, quibus particulae sive locutiones εὐθύς, κατὰ τάχος, διὰ τάχους, κατὰ σπουδήν, ὑπὸ σπουδῆς, αὐτίκα sive imperfecto sive aoristi indicativo adjuncto occurrunt.

εὐθύς cum imperfecto legitur: I 67, 1; 89, 3; 93, 4; 115, 5; II 49, 2; 80, 4; 93, 4; III 36, 4; 49, 2; 81, 1; 91, 3; 112, 2; IV 8, 1; 14, 5; 25, 10; 44, 4; 69, 1; 90, 4; 103, 5; 112, 2; 113, 1; 122, 4; 123, 3; 130, 4; V 21, 1; 25, 1; 39, 3; 44, 2; 46, 5; 61, 3; 63, 2; 65, 2; 66, 2; 74, 2; 114, 1; VI 46, 2; 58, 2; 69, 1; 88, 4; 97, 2; VII 22, 2; 29, 1; 43, 5; 56, 1; 69, 1; 69, 4; 82, 3; 84, 3; VIII 5, 3; 10, 1; 41, 2; 64, 1; 67, 1; 79, 5; 82, 3; 92, 6; 93, 1; 94, 3; 95, 3; 100, 1.

εὐθύς cum ind. aoristi legitur: I 61, 1; 62, 2; 90, 3; 132, 2; II 5, 7; 6, 2; 29, 6 (ubi cum plerisque codicibus ξυνεστράτευσε, non ξυνεστράτευε,

---

1) De eo usu quo scriptores Graeci amant particulis momentanea significatione praeditis formas praesenticas adjungere fusius egit H. MELTZER I. F. XVII p. 243, ubi tractat locum Homericum Π 355 αἶψα διαρπάζουσιν.

quod codd. C G exhibent, legendum est: aor. constativus requiritur); 58, 1; 84, 5; III 36, 1; 77, 2; 113, 5; IV 54, 1; 67, 5; 74, 2; 84, 1; 112, 3; 122, 6; 134, 2; V 3, 2; 31, 1; 60, 1; 75, 5 et 6; 80, 2; VI 26, 1; 51, 2; 58, 1; 60, 4; 65, 1; 74, 1; VII 2, 3; 34, 7; 74, 1; VIII 6, 4; 8, 4; 15, 1; 27, 6; 40, 2; 76, 2; 82, 1.

Hisce quos recensui locis non adnumeravi eos locos, quibus particula *εὐθύς* proprie non ad enuntiati praedicatum pertinet sed arte cohaeret cum locutione temporali quae praecedit sive sequitur, velut I 57, 1 *ταῦτα οἱ Ἀθηναῖοι παρεσκευάζοντο εὐθὺς μετὰ τὴν ἐν Κερκύρᾳ ναυμαχίαν*; I 102, 4 *εὐθὺς ἐπειδὴ ἀνεχώρησαν Ἀργείοις ξύμμαχοι ἐγένοντο*; II 47, 2 *τοῦ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου Πελοποννήσιοι ἐσέβαλον*; II 54, 5 *ἐσβεβληκότων τῶν Λακεδαιμονίων ἡ νόσος ἤρξατο εὐθύς*; eos solos locos enumeravi quibus vox *εὐθύς* prorsus et plane cum enuntiati praedicato conjungenda videtur, quibus igitur praedicatum aliquid momentaneum sive subitum continet.

Locis quos enumeravi computatis apparet vocem *εὐθύς* cum imperfecto 60
„ „ aoristi ind. 41 occurrere. Ubicunque igitur actionem cursivam[1]) (durat., descr., petitiv.) simul cum actionis ingressu scriptor significare studet, voci *εὐθύς* adjungit impfectum incohativum (velut in iis locutionibus quae saepius occurrunt *εὐθὺς ἐβοήθουν, ἐχώρουν, παρεσκευάζοντο, ἔπλεον* etc.). Hoc si verum est, jam dubium non videtur quin in loco II 3, 4

---

1) cf. supra p. 24.

cum codd. B C F G m_3 et Steupio legendum sit impf. προσέβαλλόν τε εὐθὺς καὶ ἐς χεῖρας ᾖσαν κατὰ τάχος, non aoristus προσέβαλόν quem Hudius ex codicibus A E recepit; requiritur enim impf. incohativum ad designandum progressum quoque actionis, qui in iis quae sequuntur (c. 4, 1 et 2) fusius describitur.

Nunc eos quoque locos, quibus reliquae voces subitum quid vel momentaneum indicantes quas supra laudavi sive cum imperfecto sive cum aor. indicativo conjunctae inveniuntur, quamquam non omnibus ingressus quoque actionis significatur, data occasione recensebo. In universum tamen tenendum est ejusmodi locutionibus saepius de ipsius actionis celeritate nil praedicari sed hoc tantum significari alteram actionem continuo alteram esse secutam, velut I 73, 5 νικηθεὶς — κατὰ τάχος — ἀνεχώρησεν „clade accepta statim se recepit", et 114, 1 ὁ δὲ Περικλῆς πάλιν κατὰ τάχος ἐκόμιζε τὴν στρατιὰν κτλ. i. e. statim postquam ii qui ib. (114, 1) memorantur nuntii Pericli allati sunt, exercitum reduxit; aor. nuntiat, impf. describit; locutio κατὰ τάχος nihil ad tempus adhibendum valebat.

Locutio κατὰ τάχος cum imperfecto occurrit: I 114, 1; 116, 3; II 3, 4; 94, 3; III 33, 1; 81, 1 (ubi etiam εὐθύς legitur); 106, 1; IV 6, 1; 8, 4; 42, 4; 44, 5; 93, 1; 104, 5; V 21, 3; 65, 3; VI 102, 4; VIII 98, 1; 103, 2.

διὰ τάχους cum imperfecto legitur: I 63, 2; III 109, 3; IV 29, 1; VIII 12, 3.

κατὰ τάχος cum aoristi ind. legitur: I 73, 5; II 5, 7; 101, 6; III 18, 2.

διὰ τάχους cum aoristi ind. occurrit: III 18, 1; IV 25, 2; VI 79, 3; 98, 2; VII 29, 2.

Ergo locutio κατὰ τάχος c. impf. 18, c. ind. aor. 9
" διὰ τάχους " " 4, " " " 5
occurrit.

κατὰ σπουδήν cum impf. semel tantum legitur: III 49, 2 (ubi etiam εὐθύς invenitur).

κατὰ σπουδήν cum aoristi ind. item semel legitur: I 93, 2.

ὑπὸ σπουδῆς cum impf. bis occurrit: III 33, 3; V 66, 2 (quo loco etiam εὐθύς legitur). Ei locutioni aor. ind. nusquam adjunctus est.

αὐτίκα cum impf. bis occurrit: III 22, 5; VII 60, 2.
" " aor. ind. semel legitur: IV 30, 6.

De ejusmodi vocibus apud Polybium sive cum imperfecto sive cum indicativi aoristo conjunctis fusius egit v. c. F. Hultsch in opere laudato p. 47 sqq., ubi apparet apud Polybium cum ejusmodi locutionibus imperf. et aoristi indicativum fere aeque frequenter inveniri.

---

§ 5. De imperfecto conativo[1]).

Cum imperfectorum quae ad conatum significandum adhibentur vis conativa plerumque oriatur e radicibus verborum ad quae illa imperfecta pertinent, pleraque exempla imperfecti conativi Thucydidea infra, cum de verbis, quorum themati praesentico vis conativa inest, dicam, tractabo. Nunc paucissima exempla, quae sub illud genus non cadunt, laudabo:

---

1) Cf. supra p. 27 sq.

I 105, 6 *καὶ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι — ἀπελθόντων τῶν Κορινθίων τροπαῖον ἔστησαν· οἱ δὲ Κορίνθιοι — ἀνθίστασαν τροπαῖον καὶ αὐτοὶ ὡς νικήσαντες κτλ.* i. e. „et ipsi tropaeum erigere conabantur", quam actionem non esse absolutam apparet ex iis quae sequuntur: *καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐκβοηθήσαντες — τούς τε τὸ τροπαῖον ἱστάντας* (i. e. erigere conantes: part. praes. de conatu) *διαφθείρουσι κτλ.*

134, 1 *βεβαίως δὲ ἤδη εἰδότες* (sc. *οἱ ἔφοροι*) *ἐν τῇ πόλει τὴν ξύλληψιν ἐποιοῦντο* i. e. id agebant ut (Pausaniam) comprehenderent; quae conamina tum irrita evasisse apparet ex iis quae sequuntur (§ 2 *οἱ δὲ τὸ παραυτίκα μὲν ὑστέρησαν τῇ διώξει κτλ.*).

II 29, 4 *οὗ δὴ ὄντα τὸν Σιτάλκην οἱ Ἀθηναῖοι ξύμμαχον ἐποιοῦντο* i. e. id agebant ut socium adsciscerent, scilicet Nymphodoro e Thracia arcessendo (ibid. § 1); in iis demum quae sequuntur (§ 5) societatem re vera esse contractam nuntiatur aoristo: *ὁ Νυμφόδωρος ξυμμαχίαν ἐποίησε.* Quare rectissime Steupius (cujus ann. ad l. l. videatur) et Hudius imperfectum *ἐποιοῦντο*, quod cod. C et ex correctione manus primae cod. G exhibent, receperunt contra ceteros codices, qui aor. *ἐποιήσαντο* (quem Herw. recepit) praebent.

Paulum diversa est significatio imperfecti quod de eadem societate usurpatur II 95, 2: *τοῖς τε Ἀθηναίοις αὐτὸς ὡμολογήκει, ὅτε τὴν ξυμμαχίαν ἐποιεῖτο* (i. e. „cum de societate agebat"), *τὸν ἐπὶ Θρᾴκης — πόλεμον καταλύσειν*; eodem fere modo impf. usurpatur IV 105, 2 *καὶ τὴν ξύμβασιν μετρίαν ἐποιεῖτο* i. e. pacem aequis condicionibus obtulit, quam pacem factam esse aoristis significatur (c.

106, 2): ἐγένετο ἡ ὁμολογία καὶ προσεδέξαντο κτλ.

V 31, 3 καὶ μέχρι τοῦ Ἀττικοῦ πολέμου ἀπέφερον, ἔπειτα παυσαμένων — οἱ Ἠλεῖοι ἐπηνάγκαζον („vi eos cogere parabant", „sie trafen Anstalt sie dazu zu zwingen" Cl.), οἱ δ' ἐτράποντο πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους.

VI 29, 3 οἱ δ' ἐχθροὶ (sc. τοῦ Ἀλκιβιάδου) — ἀπέτρεπον καὶ ἀπέσπευδον i. e. summa ope nitebantur ne fieret id quod Alc. desiderabat („suchten auf alle Weise, sein Verlangen zu hintertreiben" St.).

Nunc transeamus ad ea verba quorum sive imperfecta sive aliae formae praesenticae saepe cum significatione conativa occurrunt: ἄγειν, διδόναι, κτᾶσθαι, κωλύειν, πείθειν, πράσσειν, φθείρειν eorumque composita.

Notissimum est verbi ἄγειν formis praesenticis ipsam ducendi actionem, ipsam expeditionem significari, cum contra formis aoristicis (ἀγαγεῖν) praecipue iter confectum, ducendi finis indicetur. Exempli gratia affero III 81, 2 τούς τε Μεσσηνίους ἐς τὴν πόλιν ἤγαγον πρότερον ἔξω ὄντας i. e. intra urbem duxerunt: aoristus significat actionem ducendi usque ad finem esse absolutam; quae vis aoristi effectiva clarius etiam elucet in infinitivo qui legitur IV 37, 1 βουλόμενοι ἀγαγεῖν αὐτοὺς Ἀθηναίοις ζῶντας i. e. vivos tradere Atheniensibus (non: ducere ad Ath.); contra imperfecto eventus actionis non significatur, ipsa actio ducendi exprimitur, velut IV 93, 1 καὶ κατὰ τάχος ἀναστήσας ἦγε τὸν στρατόν i. e. ducebat adversus hostes: imperfecto ipsum iter nobis repraesentatur, ad hostes esse perventum nequaquam indicatur (aoristo qui sequitur προσέμειξεν id redditur).

Ex hac significatione verbi ἄγειν imperfectiva deri-

vanda est vis conativa quae ejus verbi formis praesenticis aliquot locis inest. Verbi simplicis imperfectum hac significatione praeditum non inveni; part. praes. eam vim habet in loco III 67, 3 — ὧν πατέρες οἱ μὲν πρὸς ὑμᾶς τὴν Βοιωτίαν ἄγοντες ἀπέθανον ἐν Κορωνείᾳ i. e. cum id agerent ut Boeotiam in vestras partes perducerent (ἄγοντες = ὅτε ἦγον = ἐνεχείρησαν ἀγαγεῖν quod legitur VIII 24, 6).

Compositi ἐνάγειν, quod significat „inducere conari ad aliquid", tantum praesenticae formae inveniuntur. Imperfectum objecti loco re addita legitur: I 67, 2 (τὸν πόλεμον); II 21, 3 (τὴν ἔξοδον); IV 15, 2 (τὴν στρατείαν); IV 24, 2 ex iis quae praecedunt verba τὸν πόλεμον, VIII 78, 2 verba τὸ διαναυμαχεῖν supplenda sunt; imperfecto persona objecti loco addita est tantummodo IV 21, 3 μάλιστα δὲ αὐτοὺς ἐνῆγε Κλέων.

Compositi ἐπάγειν imperfectum est conativum hisce locis: I 107, 4 τὸ δέ τι καὶ ἄνδρες τῶν Ἀθηναίων ἐπῆγον αὐτοὺς κρύφα „suchten die Lakk. herbeizuziehen" (St.); II 85, 1 πείθει αὐτοὺς ἐπὶ Κυδωνίαν πλεῦσαι· ἐπῆγε δὲ Πολιχνίταις χαριζόμενος: ἐπῆγε idem valet quod ἔπειθεν αὐτοὺς ἐκεῖσε πλεῦσαι. Medii ἐπάγεσθαι impf. conativum hisce locis occurrit: IV 110, 1 εὐθὺς στρατεύει ἐπὶ Τορώνην — καὶ αὐτὸν ἄνδρες ὀλίγοι ἐπήγοντο, ἑτοῖμοι ὄντες τὴν πόλιν παραδοῦναι i. e. „eum in suam urbem introducere conabantur"; VIII 5, 5 ἐπήγετο γὰρ καὶ ὁ Τισσαφέρνης τοὺς Πελοποννησίους κτλ. quod Cl. recte vertit „er suchte sie auf seine Seite zu ziehen, sich mit ihnen zu verbinden"; sic saepe usurpantur etiam infin. praes., velut III 82, 1, et part. praes. velut I 3, 2.

Compositum *προσάγεσθαι* uno tantummodo loco vim conativam habere videtur, nempe V 82, 5 *ὁ δὲ δῆμος τῶν Ἀργείων, φοβούμενος τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ τὴν τῶν Ἀθηναίων ξυμμαχίαν πάλιν προσαγόμενος κτλ.* i. e. „Atheniensium societatem denuo sibi conciliare cupiens" (schol. recte *οἰκειούμενος*).

Compositi *ὑπάγειν* imperfectum vi conativa praeditum legitur VIII 10, 2 *καὶ αὐτοῖς οἱ Ἀθηναῖοι τὸ πρῶτον ἴσαις ναυσὶ προσπλεύσαντες ὑπῆγον ἐς τὸ πέλαγος* i. e. „in altum eos elicere conabantur" („—suchten sie ins offne Meer [zum Treffen] hervorzulocken" Cl.), quod conamen irritum evasisse apparet ex iis quae sequuntur: *ὡς δ' ἐπὶ πολὺ οὐκ ἐπηκολούθησαν οἱ Πελοποννήσιοι κτλ.*

Verbi *διδόναι* praesenticarum formarum propria significatio est „praebere", „offerre"; aoristus autem (*δοῦναι*) ejus actionis eventum indicat: „dare", „tradere". Ea thematis praesentici significatio, si aoristi vis effectiva respicitur, dici poterit c o n a t i v a; cujus significationis pulchrum exemplum exhibet locus Homericus Il. I vs. 260 sq. *σοὶ δ' Ἀγαμέμνων ἄξια δῶρα δίδωσι μεταλλήξαντι χόλοιο* i. e. „dona o f f e r t tibi etc." Imperfectum sic bis apud nostrum usurpatur: VIII 29, 2 *ἐς γὰρ πέντε ναῦς καὶ πεντήκοντα τριάκοντα τάλαντα ἐδίδου τοῦ μηνός* (singulis mensibus in posterum se n u m e r a t u r u m p r o m i s i t)· *καὶ τοῖς ἄλλοις — κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἐδίδοτο* (simili significatione). Sed IV 83, 6; VII 87, 2; VIII 36, 1; 69, 2 imperfectum est iterativum („identidem" sive „singulis dare"). Tribus autem locis (VII 32, 1 *Ἀκραγαντῖνοι γὰρ οὐκ ἐδίδοσαν διὰ τῆς ἑαυτῶν ὁδόν*; VIII 8, 1 *οὐδὲ τὰ χρήματα ἐδίδοσαν ἃ ἦλθον ἔχοντες*;

99, 1 *ὡς τροφήν τε οὐδεὶς ἐδίδου κτλ.*) imperfectum cum negatione conjunctum significat „dare recusabant'', quibus igitur locis imperfectum negatione adjecta indicat vehementer rogantibus non esse obtemperatum; cf. infra § 9.

Saepe participium praesentis verbi *διδόναι* illa offerendi significatione praeditum est, velut I 85, 1 *ἐπὶ δὲ τὸν διδόντα* (sc. *δίκας*) *οὐ πρότερον νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι* i. e. „adversus eum qui promptum se praebet ad rem arbitris committendam etc.''

Compositi *ἐνδιδόναι* impf. conativum hisce locis legitur: IV 76, 3 *Χαιρωνείαν δὲ — ἄλλοι ἐξ Ὀρχομενοῦ ἐνεδίδοσαν* „Atheniensibus prodere temptabant''; similiter IV 89, 1 *ὡς τῷ Ἱπποκράτει καὶ Δημοσθένει — τὰ ἐν τοῖς Βοιωτοῖς ἐνεδίδοτο* et V 60, 2 *καί τινες αὐτοῖς — ἐνεδίδοσαν τὰ πράγματα.*

Compositi *προδιδόναι* part. praes. vi conativa praeditum occurrit IV 104, 4 *οἱ ἐναντίοι τοῖς προδιδοῦσι* i. e. „adversarii eorum qui urbem prodere conabantur''; sic part. praes. passivi legitur III 18, 1 *Μυτιληναῖοι δὲ — ἐπὶ Μήθυμναν ὡς προδιδομένην ἐστράτευσαν* i. e. arbitrati quosdam in urbe Meth. urbem sibi prodere esse paratos.

Verbi *κτᾶσθαι* formae praesenticae plerumque vim conativam habent, cum aoristus semper sit ingressivus: „ad *κτῆσιν* pervenire''. Significatio igitur verbi *κτᾶσθαι* conativa est: „ad *κτῆσιν* pervenire conari'', „acquirere conari''.

Imperfectum neque verbi simplicis neque compositorum apud nostrum occurrit. Verbi simplicis infin. praes. significatione conativa occurrit: I 70, 8 *ἀπολαύουσιν ἐλάχιστα τῶν ὑπαρχόντων διὰ τὸ αἰεὶ κτᾶσθαι*

i. e. „cum semper nova acquirere studeant"; 123, 1 *πάτριον γὰρ ὑμῖν ἐκ τῶν πόνων τὰς ἀρετὰς κτᾶσθαι* i. e. „virtutes sectari" (quod ad sententiam attinet cf. II 39, 1 ubi de eadem re dicitur: *ἐπιπόνῳ ἀσκήσει — τὸ ἀνδρεῖον μετέρχονται*). Participium praesentis ita usurpatur hisce locis: II 62, 3 *αἴσχιον δὲ ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι ἢ κτωμένους* (i. e. possessionem alicujus rei consectantes) *ἀτυχῆσαι*; 65, 8 (*ὁ Περικλῆς*) *οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ* (i. e. *τοῦ πλήθους*) *ἢ αὐτὸς ἦγε, διὰ τὸ μὴ κτώμενος ἐξ οὐ προσηκόντων τὴν δύναμιν πρὸς ἡδονήν τι λέγειν* i. e. „potestatem sibi asciscere studens"; similiter III 39, 2 *δύναμιν κτώμενοι* et III 82, 8 *χειρὶ κτώμενοι τὸ κρατεῖν*. Imperativus praesentis vim conativam habet IV 92, 7 *δεῖξαι, ὅτι ὧν μὲν ἐφίενται πρὸς τοὺς μὴ ἀμυνομένους ἐπιόντες κτάσθων* „eos consectari oportet".

(Alia significatione, nempe iterativa, verbi *κτᾶσθαι* formae praesenticae usurpatae sunt hisce locis: I 70, 4 *οἴονται γὰρ οἱ μὲν τῇ ἀπουσίᾳ ἄν τι κτᾶσθαι* „singulis expeditionibus aliquid acquirere"; 143, 5 (*χρὴ*) *τὴν ὀλόφυρσιν μὴ οἰκιῶν καὶ γῆς ποιεῖσθαι, ἀλλὰ τῶν σωμάτων· οὐ γὰρ τάδε τοὺς ἄνδρας, ἀλλ' οἱ ἄνδρες ταῦτα κτῶνται* „acquirere solent"; II 40, 4 *οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους* „amicos acquirere solemus".)

Compositum *ἀνακτᾶσθαι* semel tantum occurrit atque id significatione conativa, nempe VI 92, 4 *οὐδ' ἐπὶ πατρίδα οὖσαν ἔτι ἡγοῦμαι νῦν ἰέναι, πολὺ δὲ μᾶλλον τὴν οὐκ οὖσαν ἀνακτᾶσθαι* „id agere ut recuperem", quae notio aliis verbis in enuntiato sequenti sic exprimitur: *ὃς ἂν .... πειραθῇ αὐτὴν ἀναλαβεῖν*.

Compositum *ἐπικτᾶσθαι* hisce tantum locis (ubi-

que vi conativa praeditum „insuper acquirere conari") legitur: I 144, 1 ἢν ἐθέλητε ἀρχὴν μὴ ἐπικτᾶσθαι; II 65, 7 ἀρχὴν μὴ ἐπικτωμένους; IV 61, 1 τὰ μὴ προσήκοντα ἐπικτωμένους.

Etiam compositum κατακτᾶσθαι quo solo loco occurrit (IV 86, 5) quodammodo conative usurpatum est; αὐτοὶ ἂν φαινοίμεθα ἐχθίονα (sc. ἐγκλήματα) ἢ ὁ μὴ ὑποδείξας ἀρετὴν κατακτώμενοι i. e. „ipsi etiam graviores accusationes nobis contrahentes comperiremur". (Compositi προσκτᾶσθαι part. praes. quod legitur VI 18, 2 habet vim iterativam: „singulis occasionibus acquirentes"; sed IV 95, 2 προσκτᾶσθε rem futuram tamquam jam praesentem et tantum non peractam audientium oculis proponit orator: „insuper acquiretis".)

Verbi κωλύειν praesenticarum formarum propria significatio est conativa: „impedire conari". Quae significatio clare elucet in pactorum formulis a nostro relatis: VIII 18, 1 κωλυόντων κοινῇ βασιλεὺς καὶ Λακεδαιμόνιοι i. e. id agant ut prohibeant; similiter 37, 5 βασιλεὺς κωλυέτω et ibidem infin. praes. τοὺς ἄλλους κωλύειν; etiam 58, 4 κωλυέτω et κωλύειν ita usurpantur.

Ipse noster imperfecto conative utitur VI 98, 3 οὗτοι δὲ ὑπομένοντες ἐκώλυον (prohibere conabantur) τοὺς Ἀθηναίους λιθοφορεῖν („sie versuchten die Athener zu hindern" St.): e paragrapho sequenti apparet eum conatum irritum fuisse. Similiter VII 24, 3 οἱ γὰρ Συρακόσιοι ναυσὶν αὐτόθι ἐφορμοῦντες ἐκώλυον κτλ. imperfectum conatus indicat, quibus tamen conatibus commeatus prorsus intercludi non poterant, quod apparet ex iis quae sequuntur: καὶ διὰ μάχης ἤδη ἐγίγνοντο αἱ ἐσκομιδαί (per se intelligitur impf. ἐκώλυον

simul vi iterativa esse praeditum, sicut etiam impf. ἐγίγν. iterativum est). Aoristus autem ejus verbi est effectivus („prohibendo alicui potestatem alicujus rei faciendae eripere''), velut IV 96, 2 καὶ ἑκατέρων τῶν στρατοπέδων τὰ ἔσχατα οὐκ ἦλθεν ἐς χεῖρας, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ἔπαθεν· ῥύακες γὰρ ἐκώλυσαν (quominus id fieret prohibuerunt); sic infin. aor. usurpatur VII 70, 7 τοῖς δὲ Συρακοσίοις καὶ ξυμμάχοις (ἡ παρακέλευσις ἐγίγνετο) καλὸν εἶναι κωλῦσαί τε αὐτοὺς (i. e. τοὺς Ἀθηναίους) διαφυγεῖν κτλ.

Compositi διακωλύειν impf. vim conativam habet III 64, 3 ξυγκατεδουλοῦσθε μᾶλλον Αἰγινήτας καὶ ἄλλους τινὰς τῶν ξυνομοσάντων ἢ διεκωλύετε „magis id agebatis ut Athenienses in subigendis Aeginetis aliisque juvaretis quam ut eos hoc facere prohiberetis'' (etiam impf. ξυγκατεδ. conativum est).

Verbi πείθειν imperfectum nonnullis locis, ubi sine negatione occurrit [1]), est conativum: „aliquem inducere conari ad aliquid faciendum'' [2]). Sic usurpatur IV 91 (de quo loco cf. p. 27) et eodem modo VIII 93, 2 ἔπειθον κτλ., cujus conatus prosper successus nuntiatur ib. § 3 ξυνεχώρησάν τε κτλ. Sic etiam participium praes. conative adhibetur VII 21, 5 τοῦ τε Γυλίππου καὶ τοῦ Ἑρμοκράτους — πειθόντων κτλ. i. e. hortantibus.

In eo loco quem supra p. 59 laudavi (II 96, 2) impf. ἔπειθεν est iterativum, sicut etiam I 91, 1 οἱ δὲ ἀκούοντες τῷ μὲν Θεμιστοκλεῖ ἐπείθοντο διὰ φιλίαν αὐτοῦ: magistratus Spartani Themistocli, quo-

1) De imperfecto verbi πείθειν cum negatione conjuncto vid. supra p. 30 sq. et infra § 9.

2) De eo quod interest inter πείθειν et πεῖσαι cf. supra p. 27 sq. et p. 31.

tiescunque singulis mendacia sua narrabat, fidem habebant" (etiam partic. ἀκούοντες iterative usurpatum est).

Compositorum ἀναπείθειν et ξυναναπείθειν, utriusque semel, impfectum occurrit idque vi conativa praeditum, nempe VIII 52, 1 Ἀλκιβιάδης μὲν Τισσαφέρνη παρεσκεύαζεν καὶ ἀνέπειθε „in aliam sententiam inducere conabatur" et similiter VII 21, 3 ξυνανέπειθε δὲ καὶ Ἑρμοκράτης οὐχ ἥκιστα κτλ.

Verbi πράσσειν ea significatio praesentica quae est „agendo aliquid impetrare conari" dici potest conativa, si respicias notionem ejus verbi (πρᾶξαι) aoristicam: „perficere". Imperfectum activi eam vim conativam exhibet hisce locis: III 4, 6 ἔπρασσον ὅπως τις βοήθεια ἥξει; similiter 70, 1; 75, 1 ξύμβασίν τε ἔπρασσε (pacem conciliare temptabat, cujus conatus prosper eventus continuo memoratur:) καὶ πείθει (= ἔπεισε) ὥστε ξυγχωρῆσαι ἀλλήλοις κτλ. Passivi impf. sic usurpatur hisce locis: IV 121, 2 καί τι αὐτῷ καὶ ἐπράσσετο (ab eo agebatur) ἐς τὰς πόλεις ταύτας προδοσίας πέρι; similiter VIII 5, 3 καὶ ταῦτ᾽ ἄνευ τῆς Λακεδαιμονίων πόλεως ἐπράσσετο; IV 76, 2 τῷ γὰρ Ἱπποκράτει καὶ ἐκείνῳ τὰ Βοιώτια πράγματα ἀπό τινων ἀνδρῶν ἐν ταῖς πόλεσιν ἐπράσσετο, ubi ἐπρ. licentius a nostro adhibitum est pro eo quod est προυδίδοτο (cf. schol.).

Verbi φθείρειν quoque imperfectum, ubicunque occurrit, est conativum, significans „damna inferre", „vexare" (= βλάπτειν). (Aoristus autem actionem perfectivam designat: „perdere", „delere".) Sic forma ἔφθειρον (tertia persona) adhibetur hisce locis: I 30, 3 τοῦ τε χρόνου τὸν πλεῖστον μετὰ τὴν ναυμαχίαν

ἐπεκράτουν τῆς θαλάσσης καὶ τοὺς τῶν Κορινθίων ξυμμάχους ἐπιπλέοντες ἔφθειρον (lectio Laurentiani ἔφθειραν procul omni dubio vitiosa est neque ab ullo editore est recepta); similiter III 85, 4; 93, 2; ib. 3 οὐ μέντοι ἥκιστα οἱ ἄρχοντες αὐτῶν τῶν Λακεδαιμονίων οἱ ἀφικνούμενοι τὰ πράγματα ἔφθειρον i. e. „in res Heracleenses insultabant", quo loco imperfectum praeter significationem conativam etiam notionem iterativam habet (respiciuntur magistratus Lacedaemonii qui deinceps Heracleam administrabant), sicut prioribus quoque quos laudavi locis imperfectum simul est iterativum; VI 34, 8 δικαίως κατεγνωκότες ὅτι αὐτοὺς οὐ μετὰ Λακεδαιμονίων ἐφθείρομεν „quam opinionem de nobis jure ac merito conceperunt ex eo, quod perdere eos non conabamur simul cum Lacedaemoniis" („weil wir nichts zu ihrer Besiegung getan haben" St.). Passivi quoque impf. ubique hoc sensu conativo occurrit (= βλάπτεσθαι): I 2, 4; III 92, 3; V 52, 1. Compositi διαφθείρειν impf. conativum extat tantummodo V 72, 3 καὶ ἐσπεσόντες οἱ Μαντινῆς κατὰ τὸ διάκενον καὶ οὐ ξυγκλῃσθὲν τοὺς Λακεδαιμονίους διέφθειρον, quod impf. Cl. recte vertit: „sie thaten ihnen grossen Schaden".

De compositi διαφθείρειν imperfectis iterativis vid. supra § 2 p. 64. De formis dubiis ἔφθειρε et διέφθειρε cf. infra § 26.

Ut supra (p. 28) diximus, ea quoque imperfecta quae indicant in eo fuisse ut aliquid fieret conativa dici possunt. Cujus imperfecti usus haec exempla afferam:

III 24, 3 (Plataeenses) κήρυκα ἐκπέμψαντες, ἐπεὶ ἡμέρα ἐγένετο, ἐσπένδοντο (in animo habuerunt pa-

cisci) ἀναίρεσιν τοῖς νεκροῖς, μαθόντες δὲ τὸ ἀληθές (i. e. eos quos cecidisse crediderant re vera effugisse) ἐπαύσαντο (consilio paciscendi destiterunt); eodem fere modo IV 99, 1 οὐδ᾽ αὖ ἐσπένδοντο δῆθεν ὑπὲρ τῆς ἐκείνων „neque vero verisimile videbatur eos pactum facere cupere de sua ipsorum possessione".

(De imperfectis [ἐσπένδοντο] quae leguntur IV 119, 2 et V 19, 2 cf. supra § 3 p. 77.)

III 108, 1 ὡς δ᾽ ἐν χερσὶν ἤδη ὄντες περιέσχον τῷ κέρᾳ οἱ Πελοποννήσιοι καὶ ἐκυκλοῦντο τὸ δεξιὸν τῶν ἐναντίων, quod impf. St. recte interpretatur „da sie schon im Begriffe waren, den rechten feindlichen Flügel zu umzingeln"; similiter V 73, 1 παρερρήγνυντο (in eo erat ut a reliquo exercitu intercluderentur) ἤδη ἅμα — καὶ ἅμα τὸ δεξιὸν τῶν Λακεδαιμονίων καὶ Τεγεατῶν ἐκυκλοῦτο (circumventurum erat) τῷ περιέχοντι σφῶν τοὺς Ἀθηναίους κτλ.

IV 14, 2 ἃ ὁρῶντες οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ περιαλγοῦντες τῷ πάθει, ὅτιπερ αὐτῶν οἱ ἄνδρες ἀπελαμβάνοντο ἐν τῇ νήσῳ κτλ. i. e. moleste ferentes, quod jam jamque futurum erat ut sui intercluderentur etc. (homines esse interclusos indicatur perfecto: § 5 τῶν ἀνδρῶν ἀπειλημμένων).

28, 3 αὖθις δὲ ὁ Νικίας ἐκέλευε καὶ ἐξίστατο τῆς ἐπὶ Πύλῳ ἀρχῆς: se paratum praebuit ad praeturam abdicandam.

V 28, 2 οἱ μὲν οὖν Ἀργεῖοι οὕτως ἐς τὴν ξυμμαχίαν προσεδέχοντο τοὺς ἐθέλοντας τῶν Ἑλλήνων: omnibus civitatibus Graecis potestatem fecerunt societatem secum conjungendi; Cl. impf. recte vertit „waren bereit zuzulassen". (Cf. contra aor. e. g. I 45, 1 οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς Κερκυραίους προσεδέξαντο: „socios asciverunt".)

VI 1, 1 ἄπειροι οἱ πολλοὶ ὄντες — ὅτι οὐ πολλῷ τινι ὑποδεέστερον πόλεμον ἀνῃροῦντο ἢ τὸν πρὸς Πελοποννησίους, quod impf. recte St. vertit „dass sie zu unternehmen im Begriff waren".

Similiter VI 30, 2 ἐνθυμούμενοι ὅσον πλοῦν ἐκ τῆς σφετέρας ἀπεστέλλοντο: cogitantes quam longum iter facturi essent.

VI 99, 1 παρέβαλλον ἐπὶ τὸν Τρώγιλον καλούμενον αἰεί, ᾗπερ βραχύτατον ἐγίγνετο αὐτοῖς (i. e. brevissimum futurum erat) ἐκ τοῦ μεγάλου λιμένος ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλασσαν τὸ ἀποτείχισμα: recte schol. vocem ἐγίγνετο vertit ἔμελλεν ἔσεσθαι (cf. ann. St. ad locum); similiter 101, 1 ἐτείχιζον — ᾗπερ αὐτοῖς βραχύτατον ἐγίγνετο καταβᾶσι διὰ τοῦ ὁμάλου καὶ τοῦ ἕλους ἐς τὸν λιμένα τὸ περιτείχισμα.

De loco VII 71, 7 (προσαπώλλυντο) jam supra diximus p. 28.

Ad extremum huc trahendos puto eos locos quibus participio praesentis quo consilio legati missi sint significatur, quibus igitur locis participium praesentis pro participio futuri usurpari videtur. Loci sunt hi: III 52, 2 προσπέμπει αὐτοῖς κήρυκα λέγοντα (qui diceret); quae locutio redit VII 3, 1; VI 88, 10 πρέσβεις πέμπειν ἐς Συρακούσας κωλύοντας (qui prohiberent) μὴ ξυμβαίνειν Ἀθηναίοις; VII 25, 9 ἔπεμψαν δὲ καὶ ἐς τὰς πόλεις πρέσβεις οἱ Συρακόσιοι — ἀγγέλλοντας (qui nuntiarent) τήν τε τοῦ Πλημυρίου λῆψιν κτλ.[1])

---

1) Eodem modo Latine quoque part. praes. hic illic usurpatur, velut apud Livium XXI 6, 2 „legati a Saguntinis Romam missi, auxilium ad bellum — orantes".

§ 6. De imperfecto exspectativo[1]).

Ad hoc imperfecti genus quae verba pertinere videntur singula deinceps tractabo:

Verbi *κελεύειν* inter imperfectum et aoristum quid intersit optime illustratur hoc exemplo: IV 22, 1 *οἱ δὲ* (i. e. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *ξυνέδρους σφίσιν ἐκέλευον ἑλέσθαι*: legati Lacedaemoniorum post cladem apud Pylum acceptam ab Atheniensibus comitiis institutis petunt ut aliquot viros ex se eligant qui cum ipsis de pace componenda deliberent; imperfecto legati exspectantes quid rogatione sua fiat significantur; in iis autem quae sequuntur (§ 2) aor. legitur: *Κλέων δὲ — εἴ τι ὑγιὲς διανοοῦνται, λέγειν ἐκέλευσεν ἅπασιν*: aoristus adhibetur de eo qui, plus valere se sentiens, non petit sed plane jubet; ergo aoristus adhibetur de eo qui suo jure jubet, sive magistratu fungitur sive aliqua alia causa superior est eo qui jubetur. Indicativus aoristi praeter eum quem laudavi locum etiam hisce locis occurrit: II 69, 3 *καὶ ἐκέλευσεν ἐκείνοις παραδοῦναι· οἱ δὲ λαβόντες ἐκόμισαν ἐς τὰς Ἀθήνας*: Sadocus, Sitalcis Thraciae regis filius, legatis Atheniensibus comites addidit qui Lacedaemoniorum legatos, qui tunc Thraciam peragrabant, comprehensos illis traderent. Ad hoc narrandum apte adhibetur aoristus; etenim Sadocus satellitibus suis suo jure imperat, cui imperio esse obtemperatum ita per se intelligitur ut ne memoretur quidem a scriptore. Similiter VI 58, 1 (Ἱππίας) *ἐπὶ τοὺς πομπέας*

---

1) Cf. supra p. 28 sq.

τοὺς ὁπλίτας — εὐθὺς ἐχώρησε καὶ — ἐκέλευσεν αὐτούς, δείξας τι χωρίον, ἀπελθεῖν ἐς αὐτὸ ἄνευ τῶν ὅπλων. καὶ οἱ μὲν ἀπεχώρησαν κτλ.: Hippias optimo jure suos abire jubet, quod ii continuo faciunt; eodem modo VI 102, 2 τὰς γὰρ μηχανὰς καὶ ξύλα ὅσα πρὸ τοῦ τείχους ἦν καταβεβλημένα, ἐμπρῆσαι τοὺς ὑπηρέτας ἐκέλευσεν aoristus usurpatur de praetore (Nicia) suis imperanti. Forma pluralis reperitur tantummodo III 60 οἱ δὲ Θηβαῖοι — προσελθόντες ἔφασαν καὶ αὐτοὶ βούλεσθαι εἰπεῖν —. ὡς δ' ἐκέλευσαν (sc. judices Lacedaemonii) ἔλεγον τοιάδε: aor. apte adhibetur de judicibus potestatem loquendi iis qui causam dicunt facientibus.

Hisce duobus locis codices variant (ἐκέλευε — ἐκέλευσε), quibus utra lectio eligenda sit ex iis quae supra diximus efficere conabimur:

IV 114, 1 ὁ Βρασίδας τοῖς μὲν μετὰ τῶν Ἀθηναίων Τορωναίοις καταπεφευγόσι κήρυγμα ἐποιήσατο τὸν βουλόμενον ἐπὶ τὰ ἑαυτοῦ ἐσελθόντα ἀδεῶς πολιτεύειν, τοῖς δὲ Ἀθηναίοις κήρυκα προσπέμψας ἐξιέναι ἐκέλευεν ἐκ τῆς Ληκύθου ὑποσπόνδους καὶ τὰ ἑαυτῶν ἔχοντας ὡς οὔσης Χαλκιδέων. Hoc loco codd. C E G M exhibent impfectum ἐκέλευεν et ita Hudius legit; sed codd. A B F praebent aoristum ἐκέλευσεν et sic edidit Steupius, qui annotat haec: „gegen das von den Hss. C E M gebotene Impf. ἐκέλευεν spricht entschieden der Aor. ἐποιήσατο". Haec autem ratio quam Steupius hic in textu constituendo secutus est reicienda videtur. Si optandum nobis est utrum aliquo loco imperfectum an aoristum legamus, unumquodque verbum per se est considerandum neque verbi vicinantis tempus pro certo argumento haberi potest. Sic nostro loco locutionis κήρυγμα ποιεῖσθαι (quae locutio hic tantum

occurrit) aoristus adhibetur, quo simplex edictum nuntietur, quomodo etiam verbi κηρύσσειν aoristus usurpatur IV 37, 2 et V 115, 2. Utrum verbi κελεύειν impf. an aoristum hic recipiamus, ex eo solum pendere debet, requiraturne forma vi exspectativa praedita necne. Mea autem opinione re vera formae exspectativae, i. e. imperfecto, hic locus est: Brasidas Atheniensibus, qui Lecythi in praesidio collocati sunt, suadet ut incolumes discedant, non imperat; licebat enim illis etiam tum rem armis decernere, quod re vera faciunt (cf. ea quae sequuntur). Contra Steupii argumentationem apte afferri posse mihi videtur III 55, 1 δεομένων γὰρ ξυμμαχίας ὅτε Θηβαῖοι ἡμᾶς ἐβιάσαντο, ὑμεῖς ἀπεώσασθε καὶ πρὸς Ἀθηναίους ἐκελεύετε τραπέσθαι ὡς ἐγγὺς ὄντας, quo loco aeque ac nostro post aoristum ἀπεώσ., quo repulsa simpliciter nuntiatur, sequitur verbi κελεύειν impfectum notione suadendi, non imperandi, praeditum.

Alter locus quo codices variant est IV 114, 5 τούς τε πάντας παρασκευάζεσθαι ἐκέλευεν ὡς βεβαίους τέ ἐσομένους ξυμμάχους καὶ τὸ ἀπὸ τοῦδε ἤδη ὅτι ἂν ἁμαρτάνωσιν αἰτίαν ἕξοντας. Hic quoque non imperium significatur cujus exsecutio statim secutura cogitanda est, sed monitio, praeceptum rationis politicae, quod esse observatum longo demum tempore post apparere poterit. Etiam hoc loco in codicibus C E G M impf. ἐκέλευεν legitur, codd. A B F exhibent aor. ἐκέλευσεν, quem recepit Steupius, qui annotat: „wegen des Aorists ἔλεξε (§ 3) kann auch hier das von den Hss. C E M gebotene Impf. nicht in Betracht kommen." Quam argumentationem esse falsam supra ostendisse nos speramus. (De aoristo

ἔλεξε qui legitur ib. § 3 fusius infra § 21 dicemus.)

Etiam Blassius in ea quam laudavi commentatione (Demosthenische Studien III, Aorist und Imperfekt, Rh. M. N. F. 44, p. 406—430) utroque loco impfectum, non aoristum, esse legendum dicit. Occasione data hic Blassii opinionem de eo quod interest inter verbi κελεύειν imperfectum et aoristum, quam supra p. 29 breviter rettulimus, nunc ipsius Blassii verbis afferemus. Pag. 414 haec dicit: „Dass nun hierbei irgend Willkür obwalte, wird man jetzt gewiss nicht mehr meinen, und es wird vielmehr die Sache etwa so liegen: wenn die Aufforderung auf Schwierigkeiten bei den Andern stösst, die dann weiter berichtet werden, steht das Imperfektum, indem das κελεύειν unvollständig bleibt; dagegen wenn der Aufforderung ohne weiteres entsprochen wird, steht der Aorist, vollends wenn die Ausführung des Befehls gar nicht einmal angegeben wird, sondern diese Angabe in der des Befehls mit enthalten ist." In eadem commentatione p. 429 de hac quaestione haec quoque pronuntiat: „Der fehlende Begriff der Vollendung sodann bewirkt das so häufige Imperfekt bei κελεύω, λέγω u. s. w., bei denen die eigentliche Vollendung erst in dem entsprechenden Thun eines Andern liegt; wo nun nicht entweder diese Vollendung als eingetreten bezeichnet, oder die Gültigkeit des Befehls nachdrücklich hervorgehoben werden soll, heisst es ἐκέλευε."

Iis quae Blassius de aoristo dixit plane et prorsus assentior; quid in iis quae de imperfecto protulit mihi displiceat, fusius supra p. 29 demonstravi.

Ego sic dixerim: aoristus usurpatur ubicunque eum qui jubet nihil dubitare de jussi exsecutione cogitandum est, quo aristo igitur scriptor non id agit ut significet animum jubentis esse intentum in eam rem futurumne sit ut jusso obtemperetur necne; ubicunque autem id ipsum, i. e. jubentis exspectationem, indicare vult scriptor, imperfecto utitur. Quo fit ut imperfectum in usu sit ubicunque verbum κελεύειν usurpatur significatione petendi (alqud ab alquo) vel suadendi. Facile intelligitur verbum κελεύειν plerisque locis apud scriptores significatione exspectativa adhiberi. Apud nostrum quoque ejus verbi multo majore numero praesenticae quam aoristicae formae occurrunt; imperfectum 75 reperitur, ind. aor. tantum 5.

Pernotum est verbum λέγειν saepissime apud omnes scriptores usurpari ita ut idem valeat quod κελεύειν. Animadvertisse autem mihi videor apud nostrum, cum verbum λέγειν ita adhibeat, imperfectum (ἔλεγε, - ον) eandem vim habere quam ἐκέλευε (-ον) vel saltem in illo imperfecto hoc quoqne esse subaudiendum; aoristum autem (εἶπον) eadem significatione usurpari qua aor. ἐκέλευσαν. Verbi λέγειν impfectum eodem sensu quo ἐκέλευε (- ον) hisce locis occurrit: II 5, 5; III 25, 1; 32, 2; IV 38, 2; VII 83, 1; VIII 12, 2. Aoristus εἶπον eodem sensu quo ἐκέλευσαν legitur: I 131, 1; IV 2, 2 et 4; VIII 49, 4. Qui loci infra § 21 fusius tractabuntur.

Eodem pertinet quod verbi φράζειν quoque imperfectum notionem imperfecti ἐκέλευον habere potest, quomodo semel apud nostrum adhibetur: III 15, 1

τοῖς τε ξυμμάχοις παροῦσι κατὰ τάχος ἔφραζον ἰέναι ἐς τὸν ἰσθμὸν κτλ. (Altero loco quo id imperfectum occurrit [VII 43, 4 τοῖς ἑξακοσίοις τῶν Συρακοσίων — ἔφραζον] non adhortandi vim habet, sed significat „pluribus nuntiabant", de qua verbi λέγειν imperfecti significatione videatur item infra § 21.)

Verbi παραγγέλλειν imperfecta quae apud nostrum occurrunt (V 10, 3 et 71, 3) notione imperandi praedita sunt; utroque loco imperfectum idem valet quod impf. ἐκέλευε, imperfecto igitur monetur de jussi exsecutione adhuc aliquid dictum iri. Qua de causa priore loco cum codd. C E G et editoribus Classeno et Hudio παρήγγελλε legendum est, non παρήγγειλε quod codd. A B F M exhibent.

De iis locis quibus imperfectum verbi ἀξιοῦν occurrit eodem sensu quo ἐκέλευε (-ον) cf. supra § 1 p. 43; ibidem diximus de eo loco (VIII 73, 4) quo οὐκ ἠξίουν idem valet quod ἐκέλευον μή.

Huc pertinent ii quoque loci quibus verbi ἐᾶν imperfectum invenitur. Quod imperfectum apud nostrum ubique cum negatione conjunctum reperitur, ita ut locutio οὐκ εἴα (εἴων) idem significet ac ἐκέλευε (-ον) μή; loci sunt hi: I 28, 3; 127, 3; VI 72, 3; VII 48, 2; VIII 46, 5. (Indicativus aoristi verbi ἐᾶν legitur tantummodo tribus locis, quibus vis exspectativa omnino non requiritur, qui loci sunt: VI 41, 1 ἄλλον μὲν οὐδένα ἔτι εἴασε παρελθεῖν, αὐτὸς δὲ ἔλεξε τοιάδε, ubi ἄλλον — εἴασε idem valet quod τοὺς ἄλλους ἐκώλυσε, aoristo igitur prohibitio momentanea exprimitur; similiter VIII 84, 5 καὶ νόσῳ ὕστερον ἀποθανόντα αὐτὸν οὐκ εἴασαν [= ἐκώλυσαν] θάψαι οὗ ἐβού-

λοντο οἱ παρόντες τῶν Λακεδαιμονίων; tertius locus est VIII 69, 2 τοὺς μὲν μὴ ξυνειδότας εἴασαν — ἀπελθεῖν „abire passi sunt", ubi item aoristo aliquid momentaneum significatur.)

Etiam locutionis γνώμην ποιεῖσθαι imperfectum quod legitur VII 72, 3 (Δημοσθένης Νικίᾳ προσελθὼν γνώμην ἐποιεῖτο — βιάσασθαι τὸν ἔκπλουν) vi exspectativa praeditum est: „suadebat", „auctor ei erat"; fere idem valet quod ἐκέλευε; cui monitioni Niciam obtemperavisse apparet ex iis quae sequuntur (§ 4): καὶ ξυγχωροῦντος Νικίου τῇ γνώμῃ κτλ. (Differt autem significatione impf. quod occurrit III 36, 2 περὶ τῶν ἀνδρῶν γνώμας ἐποιοῦντο i. e. deliberabant [= ἐβουλεύοντο]; aliter etiam accipiendum est impf. quod reperitur II 2, 4 γνώμην δὲ ἐποιοῦντο κηρύγμασι χρήσασθαι ἐπιτηδείοις i. e. „consilium inierunt etc.", quo imperfecto etiam deliberationes quae initum consilium praecesserunt significari videntur; perfectum esse illud propositum iis quae sequuntur refertur: καὶ ἀνεῖπεν ὁ κῆρυξ κτλ.)

Ejusdem generis est imperfecti usus in ea locutione quae est ἰέναι ἐς λόγους, quod imperfectum legitur III 80, 1 ὁ δῆμος τῶν Κερκυραίων — τοῖς τε ἱκέταις ᾖσαν ἐς λόγους καὶ τοῖς ἄλλοις ὅπως σωθήσεται ἡ πόλις „adhortabantur ut curarent ut res publica servaretur"; verba ᾖσαν ἐς λόγους fere significant ἐκέλευον ἐπιμέλεσθαι ὅπως etc. (De ejus locutionis quae est (ξυν)ιέναι ἐς λόγους imperfectis iterativis vid. supra § 2 p. 63 sq.)

Cum verbi κελεύειν stirpe cognati verbi παρακελεύεσθαι imperfectum et aoristus apud nostrum non nisi raro occurrunt; imperfectum tribus locis occurrit,

sed casu et fortuito evenit ut iis locis actio iterata designetur, ita ut utrum vis exspectativa an vis iterativa in iis imperfectis praevaleat dijudicare non possimus. Loci sunt hi: IV 94, 2 καθεστώτων δ' ἐς τὴν τάξιν καὶ ἤδη μελλόντων ξυνιέναι, Ἱπποκράτης ὁ στρατηγὸς ἐπιπαριὼν τὸ στρατόπεδον τῶν Ἀθηναίων παρεκελεύετό τε καὶ ἔλεγε τοιάδε: imperfecta significant Hippocratem ante primam aciem diversis locis plures orationes in eandem sententiam habuisse; similiter VI 67, 3 μέλλουσι δὲ τοῖς Ἀθηναίοις προτέροις ἐπιχειρήσειν ὁ Νικίας κατά τε ἔθνη ἐπιπαριὼν ἕκαστα καὶ ξύμπασι τοιάδε παρεκελεύετο: Nicias in eandem sententiam orationes habuit ad diversas copiarum partes et postea ad exercitum universum; VII 44, 4 οἵ τε γὰρ Συρακόσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι κρατοῦντες παρεκελεύοντό τε (inter se cohortabantur) κραυγῇ οὐκ ὀλίγῃ χρώμενοι κτλ.: imperfecto παρεκελεύοντο sicut ceteris quoque imperfectis quae in ea paragrapho occurrunt conditio aliquamdiu continuata describitur; ea igitur imperfecta sunt descriptiva sive iterativa.

Aoristi indicat. bis invenitur post relatam orationem directam, nempe II 88, 1 (τοιαῦτα μὲν τοῖς Πελοποννησίοις οἱ ἄρχοντες παρεκελεύσαντο) et 90, 1 (τοιαῦτα δὲ καὶ ὁ Φορμίων παρεκελεύσατο), quo loco sine dubio cum codicibus C E G aor. παρεκελεύσατο legendus est, non impf. παρεκελεύετο quod codd. A B F M exhibent (cf. St. ann. ad II 71, 1): ejusmodi enim locis verbum dicendi, quatenus sub indicativi forma occurrit, semper aoristicam formam induit (aor. const. [1]). Reliquis locis aor. ante rela-

1) de qua re pluribus infra § 21.

tam orationem, qua militum animi confirmantur incitanturque ad pugnam, legitur; mirum non est hujuscemodi locis ad accelerandum narrationis tenorem a nostro aoristum adhiberi, quo fit ut eorum locorum plerisque etiam verborum vicinantium aoristus usurpetur, qui loci sunt: IV 9, 4 ἔταξε τοὺς ὁπλίτας — καὶ παρεκελεύσατο τοιάδε; VI 86, 6 παρεκελεύσαντο καὶ ἔλεξαν; VII 60, 5 παρεκελεύσατο — καὶ ἔλεξε; 65, 2 παρεκελεύσαντο — καὶ ἔλεξαν; quae vis aoristi accelerativa clare elucet in loco IV 125, 4 καὶ πρὶν τοὺς πολεμίους ἐγγὺς εἶναι, ὡς διὰ ταχέων παρεκελεύσατο τοῖς στρατιώταις τοιάδε i. e. „quomodo in re trepida licuit cohortatus est etc."

Verbi παραινεῖν „cohortari", „suadere", propter vim ejus exspectativam saepius (16) imperfectum occurrit; aoristi indicativus bis tantum legitur: altero loco (II 21, 3 ὧν παρῄνεσε πρότερον ἐμέμνηντο οὐδέν) significatione plqpfecti Latini praeditus („monuerat"), altero (V 69, 2) post relatam orationem vi constativa adhibitus est: τοῖς μὲν Ἀργείοις καὶ ξυμμάχοις τοιαῦτα παρῃνέθη.

Porro huc referenda sunt ea verba quibus invitandi notio inest: ἐπικαλεῖσθαι, προκαλεῖσθαι, παρακαλεῖν, quorum formis praesenticis exspectatio significatur.

Verbi ἐπικαλεῖσθαι (med.), „ad se vocare", „in auxilium vocare", plures praesenticae quam aoristicae formae inveniuntur. Plerumque imperfectum cum alterius verbi imperfecto conjunctum occurrit. Bis ἐκέλευον sequitur: I 101, 1 Θάσιοι δὲ — Λακεδαιμονίους ἐπεκαλοῦντο καὶ ἐπαμῦναι ἐκέλευον; similiter IV 48, 1 τούς τε Ἀθηναίους ἐπεκαλοῦντο καὶ ἐκέλευον

κτλ. Bis imperfectum offerendi notione praeditum sequitur: VIII 80, 2 ἐπεκαλεῖτό τε γὰρ αὐτοὺς ὁ Φαρνάβαζος καὶ τροφὴν ἑτοῖμος ἦν παρέχειν „invitabat eos se paratum dictitans etc."; similiter 99, 1 Φαρνάβαζός τε ἐπεκαλεῖτο αὐτοὺς καὶ ἦν πρόθυμος — τὰς λοιπὰς ἔτι πόλεις ἀποστῆσαι τῶν Ἀθηναίων. Semel imperfectum altero imperfecto non addito legitur: V 54, 4 Ἐπιδαύριοι δὲ τοὺς ξυμμάχους ἐπεκαλοῦντο i. e. „in auxilium vocabant".

Eodem modo quo postremo loco imperfectum adhibitum videmus, aoristus usurpatur I 102, 1 Λακεδαιμόνιοι δὲ — ἄλλους τε ἐπεκαλέσαντο ξυμμάχους καὶ Ἀθηναίους· οἱ δ' ἦλθον —, ubi aoristus constativus adhibetur ad accelerandum narrationis tenorem [1]). Quod statim post ea quae modo laudavi verba eadem res repetitur aoristo (§ 2 μάλιστα δ' αὐτοὺς ἐπεκαλέσαντο ὅτι τειχομαχεῖν ἐδόκουν δυνατοὶ εἶναι), nihil mirandum est; solet enim ejusmodi locis ad priora referri aoristo (const.). Item secundum usum vulgatum aor. const. usurpatur III 65, 2 εἰ δὲ ἄνδρες ὑμῶν οἱ πρῶτοι — ἐπεκαλέσαντο (sc. ἡμᾶς) ἑκόντες, τί ἀδικοῦμεν; i. e. in eo quod primores civitatis vestrae nos advocarunt, quid nos peccavimus?

---

1) Quod ad usum aoristi constativi attinet, notabilis est totus ille locus libri primi (I 89—118, 2) quo res enarrantur quae gestae sunt inde a proelio Mycalensi usque ad initium belli Peloponnesiaci, quod temporis spatium vocatur pentecontaëtia. Thucydides hac digressione narrationis cursum interrumpit, ut eas res repetat quibus potentia rei publicae Atheniensis paulatim aucta est, quo magis intelligant lectores fieri non potuisse quin bellum gravissimum aemulorum exardesceret. Mirum non est in ea digressione, quippe qua non directe, ut ita dicam, res enarrentur, sed tantummodo rerum quae postea sunt gestae illustrandarum causa repetantur, eas quoque actiones quae vulgo imperfectis significari soleant punctative aoristis constativis nuntiari (de qua re infra § 12 pluribus).

In loco VI 78, 4 *ἅπερ, εἰ ἐς τὴν Καμαριναίαν πρῶτον ἀφίκοντο οἱ Ἀθηναῖοι, δεόμενοι ἂν ἐπεκαλεῖσθε* („sicut, si agrum Camarinensem primum Athenienses invasissent, nos advocavissetis") aoristum (*ἐπεκαλέσασθε*) potius exspectabamus secundum eas leges quae in enuntiatis hypotheticis valent (cf. supra p. 22 sq.); imperfectum autem hic usurpari videtur ut actio praesentica (i. e. vis exspectativa) magis eluceat (vid. ibidem).

(De activo *ἐπικαλεῖν* „crimini dare" vid. infra § 7)

Verbi *προκαλεῖσθαι* semel imperfectum occurrit: IV 22, 3 *ὁρῶντες δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς Ἀθηναίους (οὐκ) ἐπὶ μετρίοις ποιήσοντας ἃ προυκαλοῦντο* i. e. „ea quae Atheniensibus proponebant": impf. est exspectativum. Indicativus aoristi solito more vim constativam habet: II 72, 1 *ἅπερ καὶ τὸ πρότερον ἤδη προυκαλεσάμεθα* (aor. refert ad ante proposita); III 13, 1 *νῦν δὲ ἐπειδὴ Βοιωτοὶ προυκαλέσαντο, εὐθὺς ὑπηκούσαμεν* (aoristis refertur ad ea quae modo facta sunt).

Verbi *παρακαλεῖν* imperfectum legitur I 67, 1 *παρεκάλουν τε εὐθὺς ἐς τὴν Λακεδαίμονα τοὺς ξυμμάχους* („ad contionem convocabant") et II 96, 2 *παρεκάλει* (advocabat) *δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλοὺς κτλ.* Indicativus aoristi ejus verbi legitur V 30, 2 notione plqpfecti Latini praeditus (*παρεκάλεσαν* = advocaverant) et I 68, 2 (*ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τῷ ἔργῳ ἐσμέν, τοὺς ξυμμάχους τούσδε παρεκαλέσατε* „ad contionem convocastis") ad id quod modo factum est referens.

Etiam verbi *πρεσβεύεσθαι* („legatos mittere", „per legatos agere") formarum praesenticarum propria est notio exspectativa, quae clare elucet in iis

imperfectis quae hisce duobus locis leguntur: IV 41, 3 (*οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *ἐπρεσβεύοντο παρ' αὐτοὺς* (i. e. *τοὺς 'Αθηναίους*) *καὶ ἐπειρῶντο τήν τε Πύλον καὶ τοὺς ἄνδρας κομίζεσθαι* (imperfecto Lacedaemonii legationis exitum exspectantes designantur); similiter VIII 71, 3 *μετὰ δὲ τοῦτο παρά τε τὸν Ἆγιν ἐπρεσβεύοντο οὐδὲν ἧσσον* i. e. „legatos miserunt qui de foedere agerent". In ceteris locis quibus impf. reperitur simul actio iterata imperfecto significatur, ita ut ea imperfecta mere exspectativa dici non possint. Qui loci sunt hi: I 126, 1 *ἐν δὲ τούτῳ ἐπρεσβεύοντο τῷ χρόνῳ ἐγκλήματα ποιούμενοι κτλ.* (impf. de legationibus identidem missis usurpatur, cf. ann. St. ad locum); 145 *καὶ οἱ μὲν ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου καὶ οὐκέτι ὕστερον ἐπρεσβεύοντο* „non amplius per legationes res agebant", qui locus respicit eum quem modo laudavimus; II 7, 3 *'Αθηναῖοι δὲ — ἐς τὰ περὶ Πελοπόννησον μᾶλλον χωρία ἐπρεσβεύοντο, Κέρκυραν καὶ Κεφαλληνίαν καὶ 'Ακαρνᾶνας καὶ Ζάκυνθον* (impf. spectat diversa loca ad quae legati sunt missi); similiter III 85, 3 *ἐπρεσβεύοντο* (*οἱ φεύγοντες τῶν Κερκυραίων*) *δὲ καὶ ἐς τὴν Λακεδαίμονα καὶ Κόρινθον περὶ καθόδου*; VIII 7, 1 *πάντες γὰρ κρύφα αὐτῶν ἐπρεσβεύοντο*: imperfecto respiciuntur omnes (*πάντες*) civitates quae legationes miserant (de qua re in praecedentibus, c. 5 et 6, dictum est); animadvertendum est eo loco, quamquam notio plqpfecti Latini requiritur („legatos miserant"), quae vulgo aoristo significatur, tamen imperfectum esse adhibitum ad vim exspectativam simulque iterativam exprimendam.

Indicativus aoristi tribus tantum locis invenitur: I 92 *ἐπρεσβεύσαντο* vim habet plqpfecti Latini

(„legatos miserant"); VI 76, 1 initio orationis a legatis habitae legitur *οὐ τὴν παροῦσαν δύναμιν τῶν Ἀθηναίων, ὦ Καμαριναῖοι, μὴ αὐτὴν καταπλαγῆτε δείσαντες ἐπρεσβευσάμεθα*: secundum usum vulgatum aor. de eo quod modo factum est adhibetur (cf. supra p. 17 sq.); VIII 5, 1 *πρῶτοι Εὐβοῆς ὡς Ἆγιν ἐπρεσβεύσαντο ἐν τῷ χειμῶνι τούτῳ*: aoristus constativus hic voci *πρῶτοι* adjunctus est, sicut plurimis locis indicativus aoristi cum superlativis (velut *πλεῖστος, μέγιστος*) sive cum vocibus quae quodammodo vi superlativa praeditae sunt (velut *μόνος*) conjunctus reperitur (de qua re fusius infra § 12 agetur).

Compositum *ἀντιπρεσβεύεσθαι* exstat tantummodo VI 75, 3 *ἀντεπρεσβεύοντο καὶ αὐτοί* („et ipsi legationem miserunt") quod impf. est exspectativum.

Huc pertinet quod verbi *ἐπικηρυκεύεσθαι* („cum aliquo per legatos agere de aliqua re") imperfectum (exspect.) 8 legitur, cum aoristi indic. nusquam occurrat.

Ad extremum propter vim exspectativam huc trahenda censeo imperfecta verbi *αἰτεῖν* ejusque compositorum.

Compositi *ἀπαιτεῖν* aoristus omnino non legitur; impf. hisce locis vim exspectativam luculenter exhibet: IV 23, 1 *τὰς ναῦς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἀπῄτουν* („repetebant"), *καθάπερ ξυνέκειτο* (cui imperfecto animos Lacedaemoniorum intentos exprimenti quodammodo respondet imperfectum cum negatione conjunctum quod sequitur: *οἱ δ' Ἀθηναῖοι — οὐκ ἀπεδίδοσαν* „reddere recusabant"); etiam acrius imperfecto milites stipendium repetentes significantur VIII 84, 2: — *τοσούτῳ καὶ θρασύτατα προσπεσόντες τὸν μισθὸν ἀπῄτουν·*

ὁ δὲ αὐθαδέστερόν τέ τι ἀπεκρίνατο καὶ ἠπείλησε κτλ. Praeterea impf. exstat III 113, 5 ὁ κῆρυξ — ἀπῆλθεν εὐθὺς ἄπρακτος καὶ οὐκέτι ἀπῄτει τοὺς νεκρούς.

Compositum παραιτεῖσθαι uno tantum loco exstat idque sub imperfecti forma: V 63, 3 ὁ δὲ παρῃτεῖτο („deprecabatur") μηδὲν τούτων δρᾶν.

Verbi simplicis αἰτεῖν semel tantum impf. legitur, nempe VIII 56, 4 ᾔτει γὰρ τοσαῦτα ὑπερβάλλων ὁ Ἀλκιβιάδης, ubi imperfecto simul actio iterata designatur (cf. ea quae sequuntur καίπερ ἐπὶ πολὺ ὅτι αἰτοίη [optat. iterat.] ξυγχωρούντων). Indicativus aoristi aliquot locis usurpatur propter diversas causas: I 27, 2 Θηβαίους δὲ χρήματα ᾔτησαν καὶ Φλειασίους, Ἠλείους δὲ ναῦς τε κενὰς καὶ χρήματα: Corinthii expeditionem in Corcyraeos parantes civitates sibi amicas subsidia rogant; singulae rogationes singulique eventus breviter deinceps memorantur, quare aoristus adhibetur, quo etiam fit ut ibidem bis deinceps aor. ἐδεήθησαν legatur, cum ceteris locis, quibus verbi δεῖσθαι („rogare", „petere") tempus historicum requiritur, propter ipsam vim ejus verbi exspectativam imperfecta usurpentur, nempe I 24, 7; 25, 2; 26, 3; V 32, 5; 36, 2; 37, 3; 39, 2; VI 6, 2; 19, 1; VII 32, 2. Aoristus notione constativa adhibetur etiam I 140, 2 εἰρημένον γὰρ δίκας μὲν τῶν διαφόρων ἀλλήλοις διδόναι καὶ δέχεσθαι — οὔτε αὐτοὶ δίκας πω ᾔτησαν κτλ., quo aoristo omne indutiarum tempus (inde ab anno 445°) complexive comprehenditur; in loco III 53, 2 αὐτοὶ λόγον ᾐτησάμεθα aoristo respicitur id quod modo factum erat (c. 52, 5 αἰτησάμενοι μακρότερα εἰπεῖν). Aoristus significatione plusquamperfecti Latini praeditus est hisce locis: IV 30,

4; 36, 2; VI 47, 1. (In loco III 61, 2 οὐκ ἂν ᾐτησάμεθα aoristus secundum usum vulgatum qui in enuntiatis hypotheticis valet usurpatus est: „non petivissemus".)

---

§ 7. De imperfecto petitivo[1]).

Imprimis huc pertinent verborum eundi sive ducendi imperfecta quae significant hostiliter sive infeste sive magno impetu petere aliquem sive aliquid, sive proprio sive translato sensu, velut imperfecta verborum ἰέναι et ἄγειν eorumque compositorum.

Verbi ἰέναι impf. ita occurrit VI 33, 6 ἐπὶ τῷ ὀνόματι ὡς ἐπ' Ἀθήνας ᾔει (ὁ Μῆδος) „propterea quod Persae Athenas petivisse ferebantur"; praeterea impf. tribus locis occurrit in locutione ἐς χεῖρας ᾖσαν: II 3, 4; III 107, 4; IV 72, 3. Translate impfecto petendi notio inest I 1, 1 ὅτι ἀκμάζοντές τε ᾖσαν ἐς αὐτὸν (i. e. τὸν πόλεμον) ἀμφότεροι κτλ. (i. e. „bellum capessiverunt"; procul dubio legendum est ᾖσαν, non ἦσαν quod major pars codicum exhibet, de qua re cf. Steupii „Anhang" ad locum) et VIII 92, 2 ᾖσαν ἐπὶ τὰ πράγματα „res publicas appetebant", cum quo loco conferendum est id quod legitur VI 57, 1 ἐς τὸ ἔργον προῇσαν „id egerunt ut consilium peragerent".

---

1) Cf. supra p. 29 sq. Imperfecta eorum verborum quae motum indicant hic eatenus tantum tractata sunt, quatenus ad genus petitivum pertinere videntur. Quorum verborum quae imperfecta aliis notionibus sunt praedita (velut iterat., descript., incohat.) partim suis locis (§§ 2, 3, 4 alibi) sunt laudata. De verbis quae motum significant in universum agam infra § 24.

Verbi ἄγειν imperfecta vim petitivam habent hisce locis: IV 93, 1 κατὰ τάχος ἀναστήσας ἦγε τὸν στρατὸν (ἐπὶ τὰς Ἀθήνας); VII 29, 2 ἦγεν αὐτοὺς ἐπὶ Μυκαλησσόν (utroque loco hostiliter urbem peti significatur).

Compositi ἐπιέναι impf. plerumque notione petitiva („impetum facere in hostem sive in moenia urbis") adhibetur, nempe II 49, 11; III 11, 3; IV 33, 1; 43, 3; 44, 3; 96, 1; V 65, 2; 72, 4; VI 31, 6; VII 4, 2[1]). Huc pertinent verbi ἐπάγειν („copias adversus hostes ducere") imperfecta ita usurpata hisce locis: VI 69, 1; VII 3, 3; 5, 4. Compositi ξυνεπάγειν impf. ita occurrit III 11, 3.

Compositi ἀντεπιέναι tantummodo impf. exstat idque significatione petitiva praeditum („ex adverso in hostes contendere"), nempe hisce locis: IV 33, 2; 96, 1; VI 69, 1; VII 4, 2; 6, 1 (quibus omnibus locis praecedit verbi ἐπιέναι sive ἐπάγειν imperfectum).

Itidem compositorum ἀντεπεξιέναι (VII 37, 3; 42, 6) et ἀντεπεξάγειν (VIII 104, 4) non nisi imperfecta eaque petitiva inveniuntur.

Compositi προσιέναι impf. significatione petitiva praeditum, eodem sensu quo verbi ἐπιέναι impf., legitur II 81, 3 et 4; VII 37, 2. Similiter compositi προσάγειν impf. notione petitiva („urbi admovere machinas sive copias") usurpatur II 76, 4; IV 100, 3; VII 37, 2.

Saepius verbi χωρεῖν imperfecto praepositionibus

---

1) Quibus imperfectis addendum est impf. quod legitur II 95, 3 τὴν ἔφοδον ἐποιεῖτο (= ἐπῄει).

ἐπί, ἐς, πρός adjectis vis petitiva („contendere in oppidum sive castellum sive hostes") inest, nempe hisce locis: I 62, 4; II 3, 4; 81, 2; IV 31, 1; 54, 1; 129, 3; 130, 4; V 61, 3; VI 94, 3; VII 43, 2; 52, 1; VIII 92, 6; 94, 3. Translato sensu impf. adhibetur III 83, 3 τολμηρῶς πρὸς τὰ ἔργα ἐχώρουν „audacter opera aggrediebantur" (quo impfecto simul actio iterata designatur) et VIII 92, 10 eodem modo οἱ δὲ ὁπλῖται ὁμόσε τε ἐχώρουν οἱ πλεῖστοι τῷ ἔργῳ κτλ.

Porro imperfectis petitivis annumeranda sunt imperfecta eorum verborum quae significant „cum classe adversus hostes navigare": ἐπιπλεῖν, ἀντεπιπλεῖν, ἀντανάγεσθαι.

Verbi ἐπιπλεῖν ea quam modo dixi significatione [1]) impf. legitur hisce locis: I 30, 4; 50, 3; 51, 2; II 90, 1; III 76, 1; 79, 3; VII 22, 1; 40, 3; 60, 3; VIII 16, 1; 42, 1; 95, 4. Quo etiam trahendum est imperfectum ἐπίπλουν (-ους) ἐποιοῦντο quod occurrit III 78, 2; IV 11, 3; VIII 30, 2; 38, 5.

Indicativus aoristi duobus locis in omnibus codicibus legitur: I 52, 1 αἱ Ἀττικαὶ τριάκοντα νῆες — ἐπέπλευσαν ἐπὶ τὸν ἐν τοῖς Συβότοις λιμένα — βουλόμενοι εἰδέναι εἰ ναυμαχήσουσιν (οἱ Κορίνθιοι), quo loco aoristus adhiberi videtur, quia vis petitiva non requiritur; impetus enim hic non significatur, fiatne proelium necne adhuc in incerto est. Alter locus est VII 34, 3 οἱ δὲ Ἀθηναῖοι — ἐπέπλευσαν αὐτοῖς, ubi aoristus usurpatur, quoniam levius certamen hic strictim

---

1) cum qua verbi ἐπιπλεῖν notione non est confundenda ea quae est „in classe adesse", de qua egimus supra § 1 p. 35.

tangitur; breviter enim hic enarrantur ea quae in ipsa Graecia gesta sunt per tempus expeditionis Siciliensis. Praeterea mihi e Vaticano codice aoristus ἐπέπλευσαν recipiendus videtur VIII 44, 3 οἱ δὲ Ἀθηναῖοι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ταῖς ἐκ τῆς Σάμου ναυσὶν αἰσθόμενοι ἐπέπλευσαν μὲν βουλόμενοι φθάσαι κτλ. Ceteri codices exhibent ἔπλευσαν quod Cl., Herw., Hudius in textum receperunt, quia iis noster videbatur dicere voluisse nil nisi „naves solverant" (Cl. vertit „sie waren — von Samos ausgesegelt"); mihi autem verba ἐπὶ τὴν Ῥόδον subaudienda esse videntur, ita ut significetur „cum navibus infeste Rhodum petiverant", qui sensus vulgo composito ἐπιπλεῖν, non verbo simplici πλεῖν, exprimitur. (Aoristus, non impf., adhibetur quia Latini plqpfecti vis requiritur: „petiverant".) Quibus aoristis adiciendus est aor. qui legitur VIII 55, 1 ἐπίπλουν τῇ Ῥόδῳ ἐποιήσαντο, ubi, aeque ac loco laudato VIII 44, 3, obiter expeditio memoratur, qua digressione interrumpitur cursus narrationis amplioris de republica Atheniensi agenti cum Alcibiade.

Compositi ἀντεπιπλεῖν impf. duobus tantum locis occurrit: I 50, 4 et 54, 2, quibus locis sine dubio cum cod. Laurentiano legendum est ἀντεπέπλεον, non ἀντέπλεον quod alii codices praebent (cf. ann. St. ad I 50, 4).

Eodem fere sensu adhibetur impf. verbi ἀντανάγεσθαι (hic illic active ἀντανάγειν) hisce locis: IV 13, 4; VII 37, 3; 40, 3; 52, 1; VIII 63, 2; 79, 6; 80, 1; 104, 1. In loco VIII 80, 1 ἐπειδὴ ἀθρόαις ταῖς ναυσὶν οὐκ ἀξιόμαχοι νομίσαντες εἶναι οὐκ ἀντανήγοντο, ἀπορήσαντες ὁπόθεν τοσαύταις ναυσὶ χρήματα ἕξουσιν κτλ. Classenus nullo codice auctore

legit aoristum *ἀντανηγάγοντο*, quod hic referatur tantummodo ad ea quae praecedunt (c. 79, 6) *ὡς οὐδεὶς αὐτοῖς ἀντανήγετο*. Mihi autem videtur hic non tantum illud respici sed per longius jam temporis spatium Peloponnesios cunctantes significari (cf. c. 78, 1 *τοῦ μὲν οὐκ ἐθέλοντος οὔτε πρότερον ναυμαχεῖν — οὔτε νῦν κτλ.*). Quod attinet ad id quod Cl. (in ann. ad l. l.) animadvertit, compluribus locis in codicibus part. praes. *ἀναγόμενοι* librariorum errore pro part. aor. *ἀναγαγόμενοι* reperiri, re vera hoc mendum in codicibus nonnullis sive in omnibus codicibus exstat I 29, 4; 52, 1; II 33, 3; 90, 1; 92, 4; VIII 95, 5. Mea autem opinione facilius per haplographiam *αγ* pro *αγαγ* a librariis scribi potuit quam *ηγ* pro *ηγαγ*, quod Cl. nostro loco usu venisse sibi persuasit.

Verba accusandi quae supra p. 29 sq. ad genus petitivum pertinere demonstravimus, sunt haec: *αἰτιᾶσθαι* ejusque composita, *ἐγκαλεῖν*, *ἐπικαλεῖν*, *κατηγορεῖν*; quorum verborum propter ipsam vim petitivam majore numero praesenticae quam aoristicae formae inveniuntur.

Verbi *αἰτιᾶσθαι* ind. aor. non occurrit; impf. legitur tantum V 30, 1 *καὶ ᾐτιῶντο τήν τε ἐσήγησιν τοῦ παντὸς κτλ.*

Compositi *ἐπαιτιᾶσθαι* impf. extat V 16, 2; VI 28, 1; 58, 2; VIII 9, 2; impfecto hic illic praeter vim petitivam etiam vis iterativa inest, nempe ubi designatur accusatio quae in ore omnium versabatur. Indicativus aoristi hisce duobus locis legitur:

II 70, 4 post memoratum exitum Potidaeae obsidionis praesidiique deditionem sic pergitur: *καὶ οἱ μὲν ὑπόσπονδοι ἐξῆλθον —· Ἀθηναῖοι δὲ τούς τε στρατη-*

γοὺς ἐπῃτιάσαντο ὅτι ἄνευ αὐτῶν ξυνέβησαν — καὶ ὕστερον ἐποίκους ἑαυτῶν ἔπεμψαν ἐς τὴν Ποτείδαιαν κτλ.: aoristo constativo hic locus est, quia strictim nuntiantur ea quae Athenienses obsidione peracta de ea re cogitabant quaeque fecerunt Potidaeae continendae causa.

VIII 81, 2 γενομένης δὲ ἐκκλησίας τήν τε ἰδίαν ξυμφορὰν ἐπῃτιάσατο τῆς φυγῆς καὶ ἀνωλοφύρατο ὁ Ἀλκιβιάδης καὶ περὶ τῶν πολιτικῶν πολλὰ εἰπὼν ἐς ἐλπίδας αὐτοὺς σμικρὰς τῶν μελλόντων καθίστη κτλ.: aoristo usurpando noster priora utpote leviora breviter absolvit, ut celeriter transeat ad ea quae sunt majoris ponderis, quae imperfecto designantur (ἐς ἐλπίδας — καθίστη); quod etiam sic exprimi poterat: — ἐπαιτιασάμενος καὶ ἀνολοφυράμενος — καθίστη.

Compositum ξυνεπαιτιᾶσθαι extat tantummodo I 135, 2 idque sub imperfecti forma.

(Compositi καταιτιᾶσθαι semel [III 42, 3] impf. occurrit idque in enuntiato hypothetico.)

Verbi ἐγκαλεῖν „crimini dare" non aliae formae nisi imperfecta inveniuntur, nempe hisce locis: I 72, 1; IV 123, 1; V 46, 3; VI 53, 1.

Verbi ἐπικαλεῖν (active), quod apud nostrum ubique eodem sensu quo ἐγκαλεῖν adhibetur, ind. aor. non legitur, impf. semel (V 56, 2) occurrit.[1])

Verbi κατηγορεῖν aoristus omnino non invenitur, sed 2 impf. act. et 2 impf. pass. occurrunt.

1) De medio ἐπικαλεῖσθαι („ad se vocare") cf. supra § 6 p. 106 sqq.

§ 8. De imperfecto attentivo.[1])

Post ea quae de hoc imperfecti usu fusius supra demonstravimus restat ut pauca quae apud nostrum hujus usus exempla deprehendisse nobis videmur hic breviter tractemus.

Imprimis huc pertinent ii loci quibus de una eademque re ejusdem verbi imperfectum et aoristus deinceps usurpantur:

II 93, 2 legitur ἐδόκει δὲ λαβόντα τῶν ναυτῶν ἕκαστον τὴν κώπην καὶ τὸ ὑπηρέσιον — πλεῦσαι εὐθὺς ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ; tum paragrapho sequenti explicatur quibus rebus inducti praetores Lacedaemonii hoc consilium inierint; deinde § 4 legitur: ὡς δὲ ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐχώρουν εὐθὺς κτλ.: tam impf. ἐδόκει quam aor. ἔδοξε hic significant simpliciter id quod est „placuit", quae notio vulgo aoristo exprimitur[2]); sed imperfecto (§ 2) animus lectoris attenditur ad ipsum consilium et eas causas ob quas captum est, tum § 4 ipsius consilii memoratio absolvitur aoristo ἔδοξε, ut narratio jam pergere possit de aliis rebus.

Prorsus idem valet de loco VIII 1, 3 sq.: ὅμως δὲ ὡς ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἐδόκει — —. καὶ ὡς ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐποίουν ταῦτα κτλ.

De loco VIII 85, 1 ἀπέπλει coll. § 4 ἀπέπλευσαν jam supra p. 30 fusius egimus.

VIII 90, 1 πρέσβεις τε ἀπέστελλον κτλ., quod imperfectum per se quidem exspectativum dici possit[3]); tamen hanc quoque ob causam nostrum imperfecto

---

1) Cf. supra p. 30. 2) cf. supra § 1 p. 48.

3) sicut verbi πέμπειν quoque de legatis missis imperfecta expectativa leguntur hisce locis: II 81, 1; VII 8, 1; VIII 38, 4; 39, 4.

hic esse usum dicere poterimus, ut significaret hac de re adhuc aliquid adjectum iri, quod factum est ib. § 2 *καὶ ἀπέστειλαν μὲν Ἀντιφῶντα κτλ.*, quo aoristo narratio de legatis missis absolvitur.

Similiter fere VII 19, 3 impf. legitur: *οἱ δ' ἐν Πελοποννήσῳ ἀπέστελλον περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον — τοὺς ὁπλίτας ἐς τὴν Σικελίαν*; postquam fusius memoratum est quot milites a quibus gentibus missi sint, in iis quae sequuntur (§ 4) aoristo militum profectio nuntiatur: *οὗτοι μὲν οὖν — ἐς τὸ πέλαγος ἀφεῖσαν* (codd. *ἀφῆκαν*; corr. Herw.). Quae vis aoristi constativa etiam inest aoristo qui deinde legitur: *ἀπέστειλαν δὲ καὶ Σικυώνιοι διακοσίους ὁπλίτας κτλ.* Cf. VII 20, 2 *καὶ τὸν Δημοσθένη ἐς τὴν Σικελίαν — ἀπέστελλον κτλ.*: impf. usurpatur, quia enumeratis copiis quae Demosthenis imperio sunt commissae ipsa demum profectio nuntiatur (§ 3): *καὶ ὁ μὲν Δ. ἐς τὴν Αἴγιναν προσπλεύσας κτλ.* Contra ib. § 1 navium missio simpliciter nuntiatur aoristo: *οἱ Ἀθηναῖοι — περί τε Πελοπόννησον ναῦς τριάκοντα ἔστειλαν κτλ.* (qui aoristus adhibetur etiam II 69, 1; III 86, 1; 91, 1. Verbum simplex *στέλλειν* alibi apud nostrum non occurrit).

Hoc quoque imperfectum attentivum dixerim: III 103, 1 *προσέβαλλον*[1]), *καὶ ὡς οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν, ἀπῇσαν.* Verbi *ἀπιέναι* propter vim momentaneam ejus quod est „abire", „decedere", impf. paucis tantum locis (6)[2]) usurpatur, cum ind. aor. 38 inveni-

1) Sic (impf.) recte Hudius cum codd. optimis; St. cum codd. deterioribus legit *προσέβαλον* (aor.). Cf. infra § 25.

2) Nam IV 39, 2 non *ἀπῇσαν* quod omnes codd. exhibent, sed cum Cobeto et editoribus recentioribus *ἀπῆσαν* legendum est (de qua re cf. ann. St. ad locum).

atur. Nostro quoque loco expectabamus aoristo hoc indicatum iri, Athenienses Inessae oppugnatione frustra tentata re infecta discessisse; tamen impf. adhibetur quo lector moneatur adhuc aliquid relatum iri de eo quod militibus decedentibus evenit (§ 2 *ἐν δὲ τῇ ἀναχωρήσει κτλ.*). (De ceteris verbi *ἀπιέναι* imperfectis vid. infra § 24.)

Similiter V 27, 1 *αἱ ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου πρεσβεῖαι — ἀνεχώρουν ἐκ τῆς Λακεδαίμονος* imperfecto significatur de legatorum domum reditione scriptorem aliquid esse adjecturum, nempe id quod, post ceterorum reditum absolutum aoristo (§ 2 *καὶ οἱ μὲν ἄλλοι ἐπ' οἴκου ἀπῆλθον*), de Corinthiorum legatis non statim domum revertentibus sed prius Argos ut cum Argivis de foedere agerent se conferentibus narratur ibidem. Qua narratione peracta illorum quoque domum reditio nuntiatur aoristo (§ 3): *καὶ οἱ μὲν Κορίνθιοι διδάξαντες ταῦτα ἀνεχώρησαν ἐπ' οἴκου.*

---

§ 9. De imperfecto cum negatione conjuncto.[1]

Locutio (*ὡς, ἐπειδή*) *οὐκ ἔπειθε* (*-θον*) praeter locum supra laudatum (I 65, 1) hisce quoque locis legitur: III 3, 1; 31, 1; 75, 4; IV 4, 1; 71, 2; VI 50, 1. Imperfecti quem hic observavimus usum etiam exhibet praesens quod occurrit IV 87, 2 *μάρτυρας μὲν θεούς καὶ ἥρωας τοὺς ἐγχωρίους ποιήσομαι*

---

1) Cf. supra p. 30 sq.

ὡς ἐπ' ἀγαθῷ ἥκων οὐ πείθω „persuadere vobis quamvis conanti mihi non contingere".

Passivum (ὡς) οὐκ ἐπείθετο (-θοντο) reperitur I 26, 5; II 2, 4; V 21, 3.

Idem quod οὐ πείθεσθαι valet οὐκ ἐσακούειν, cujus locutionis imperfectum praeter locum quem supra laudavi (IV 101, 1) invenitur etiam hisce locis: V 22, 2; 50, 1; VIII 31, 3; 32, 3; 38, 4; 86, 4 (οὐδὲν μᾶλλον ἐσήκουον). Similiter verbi ὑπακούειν imperfectum negatione addita usurpatur I 29, 1; 139, 2; V 114, 1; VII 18, 2. Cujus verbi aoristus cum negatione conjunctus extat tantummodo I 26, 4 οἱ δ' Ἐπιδάμνιοι οὐδὲν αὐτῶν ὑπήκουσαν (aor. const.-complex.; ceterum de loco corrupto, fortasse interpolato, vid. Steupii „Anhang" ad l. l.).

Eodem sensu quo οὐκ ἐπείθετο duobus locis usurpatur locutio οὐκ ἐνεδέχετο, nempe III 31, 2 ὁ δὲ οὐδὲ ταῦτα ἐνεδέχετο (quod respondet iis quae leguntur ib. § 1 ὁ μὲν τοσαῦτα εἰπὼν οὐκ ἔπειθε τὸν Ἀλκίδαν) et VII 49, 2 ὁ δὲ Δημοσθένης περὶ μὲν τοῦ προσκαθῆσθαι οὐδ' ὁπωσοῦν ἐνεδέχετο (=οὐκ ἐπείθετο τῷ Νικίᾳ).

Eodem fere sensu verbi προσδέχεσθαι impf. cum negatione conjunctum adhibetur V 14, 1 (τὴν ἐλπίδα τῆς ῥώμης) ἧπερ οὐ προσεδέχοντο πρότερον τὰς σπονδάς („foedus facere recusaverant"; quamquam notio plqpfecti Latini requiritur, tamen impf., non aoristus, adhibetur quo clarius vis paratatica exprimatur) et VII 83, 2 οὐ προσεδέχοντο τοὺς λόγους i. e. accipere recusabant id quod Nicias iis proponebat. Ejusdem verbi ind. aor. negatione adjecta extat tantummodo III 95, 2 κοινώσας δὲ (Δημοσθένης)

τὴν ἐπίνοιαν τοῖς Ἀκαρνᾶσιν, ὡς οὐ προσεδέξαντο κτλ. i. e. „cum consilium ejus non probarent'', quo loco nil nisi id quod Acarnanes libero consilio ea quae Demosthenes proposuit improbarunt constative significatur, repugnatio („resistance to pressure'') non exprimitur; ceteris locis quibus ind. aor. occurrit (II 70, 2; IV 106, 2; V 78, 1; VIII 6, 3) negatio abest.

Verbi simplicis δέχεσθαι quoque impf. eodem modo usurpatur III 64, 3 τὴν τελευταίαν τε πρὶν περιτειχίζεσθαι πρόκλησιν ἐς ἡσυχίαν — οὐκ ἐδέχεσθε „accipere recusabatis''. Ejusdem verbi impf. negatione adjecta sensu proprio („urbe, moenibus recipere recusare'') usurpatur hisce locis: VI 50, 3; 51, 1; 52, 1; 62, 2; VIII 17, 3.

Porro huc pertinent ii loci quibus verbi προσχωρεῖν, ea significatione quae est „ad alicujus partes accedere'', „se dedere alicui'', imperfecto negatione adjuncta irrita eorum qui deditionem sive societatem suadent conamina describuntur, nempe: III 7, 5; 88, 4; 91, 3; VIII 62, 3; 103, 1, quibus locis annumerandus est locus II 66, 2 ἐπειδὴ οὐ ξυνεχώρουν (= οὐ προσεχώρουν). Aoristi ind. cum negatione conjunctus non invenitur nisi III 102, 1 — καὶ πορευόμενος Οἰνεῶνα αἱρεῖ αὐτῶν καὶ Εὐπάλιον· οὐ γὰρ προσεχώρησαν, ubi aor. vim habet plqpfecti Latini: „Oeneonem et Eupalium vi cepit (Eurylochus); ea enim oppida partibus ejus se ultro non adjunxerant''. Ceteris locis quibus aoristi ind. extat (I 74, 4; 103, 4; 117, 3; III 61, 2; 90, 4; IV 107, 3; 109, 5; 123, 1; V 29, 1; VIII 23, 6; 44, 2) negatio abest.

Quodammodo cognatum huic usui est verbi προχωρεῖν imperfectum negatione adjecta usurpatum, sive personaliter sive impersonaliter, ea notione quae est „non succedere", „non prospere evenire", quo imperfecto conamina irrita facta repraesentantur; loci sunt hi: I 109, 3; II 58, 2; III 18, 1; V 4, 2; VI 74, 2. Contra aoristus legitur II 56, 4 ἐς ἐλπίδα μὲν ἦλθον τοῦ ἑλεῖν, οὐ μέντοι προυχώρησέ γε, quo loco infelix eventus tantummodo nuntiatur (aor. const.).

Ad id quod est οὐ προυχώρει significatione accedit id quod legitur III 26, 4 ὡς δ' οὐδὲν ἀπέβαινεν αὐτοῖς ὧν προσεδέχοντο „cum nihil succederet etc."; similiter IV 104, 3 ὡς οὐδὲν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ἔνδον ὡς προσεδέχετο ἀπέβαινεν.

Cum iis quos modo laudavimus locis apte conferri possunt ea quae occurrunt II 101, 5 ἐπειδὴ αὐτῷ οὐδὲν ἐπράσσετο ὧν ἕνεκα ἐσέβαλε et III 85, 3 ὡς οὐδὲν αὐτοῖς ἐπράσσετο, quibus locis imperfecto conatus frustra adhibiti exprimuntur. Contra ubi conamina irrita esse facta simpliciter nuntiare vult scriptor, aoristo (const.) utitur: V 50, 5 καὶ πολλῶν λόγων γενομένων τέλος οὐδὲν ἐπράχθη.

Verbi διδόναι quoque ejusque compositorum imperfectum negatione adjuncta [1]) hic illic significat repugnationem contra suadentes. Verbi simplicis imperf. sic usurpatur VII 32, 1 Ἀκραγαντῖνοι γὰρ οὐκ ἐδίδοσαν διὰ τῆς ἑαυτῶν ὁδόν („per suos fines iter dare recusabant"); VIII 8, 1 οὐδὲ τὰ χρήματα ἐδίδοσαν ἃ ἦλθον ἔχοντες („tradere recusabant"); 99, 1 ὡς τροφήν τε οὐδεὶς ἐδίδου „cum nemo

---

1) de quo imperfecto ubi negatio non est addita cf. supra § 5 p. 89.

dare vellet". Compositi *ἀποδιδόναι* impf. ita reperitur IV 23, 1 *καὶ τὰς ναῦς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἀπῄτουν, καθάπερ ξυνέκειτο· οἱ δ' Ἀθηναῖοι ἐγκλήματα ἔχοντες — οὐκ ἀπεδίδοσαν* (quamvis repetentibus reddere recusabant) et similiter V 35, 4 *ὥστε οὔτε Πύλον ἀπαιτούντων αὐτῶν ἀπεδίδοσαν κτλ.* Compositi *προδιδόναι* impf. ita adhibetur IV 123, 2 *τεκμαιρόμενοι ἀπὸ τῆς Σκιώνης ὅτι οὐ προυδίδου* i. e. „prodere recusabat"; cum quo loco conferatur id quod legitur IV 122, 3 *Βρασίδας δὲ ἀντέλεγε πολλὰ — καὶ οὐκ ἀφίει* (= *οὐ προυδίδου*) *τὴν πόλιν.*

Verbi *ἐθέλειν* quoque imperfecta quae occurrunt cum negatione conjuncta eandem vim („resistance to pressure") exhibent, nempe hisce locis: IV 122, 5; V 14, 4; 21, 2; 22, 2; 50, 2; VIII 86, 2. Contra ind. aor. legitur IV 57, 2 *ξυνεσελθεῖν μὲν ἐς τὸ τεῖχος οὐκ ἠθέλησαν δεομένων τῶν Αἰγινητῶν*, ubi aoristo aliquid momentaneum significatur: „petentibus Aeginetis negaverunt se simul cum iis moenia intraturos"; in loco VIII 83, 2 *ὡς οὐκ ἠθέλησαν ἀνταναγαγόντες ναυμαχῆσαι* aor. vim plqpfecti Latini habet („da sie — nicht sich hatten entschliessen können" Cl.).

De verbi *δύνασθαι* imperfecto et aoristo cum negatione conjunctis vid. supra § 1 p. 53 sq.

Ad extremum hoc praeclarum hujus imperfecti usus exemplum afferam: VIII 20, 2 *καὶ παραπλεύσας ἐπὶ Αἱρὰς καὶ προσβαλών, ὡς οὐκ ἐλάμβανε τὴν πόλιν, ἀπέπλευσεν* i. e. „cum quamvis annisus urbem expugnare non posset"; verba *ὡς οὐκ ἐλάμβανε* prorsus idem valent quod *ὡς οὐκ ἐδύνατο ἑλεῖν* (cf. e. g. III 103, 1).

INDICES.

I. INDEX VERBORUM.

II. INDEX LOCORUM IN HOC LIBELLO TRACTATORUM QUIBUS LECTIONES VARIANT.

CORRIGENDA.

Pag.	6 v.	3	*pro*	ἐγένετο	*lege*	ἐγένετο,
„	„ „	11	„	γένωμάι	„	γένωμαι
„	7 nt.	1 vs. ult.	„	demonstravinus	„	demonstravimus
„	11 „	„ „ 4	„	nuntiativus"	„	„nuntiativus"
„	18 vs.	6	„	ἐπησθόμην	„	ἐπησθόμην
„	31 „	2	„	quare	„	qua re
„	33 nt.	1 vs. 3	*dele*	a		
„	44 vs.	26	*pro*	dic ipoterit	„	dici poterit
„	45 „	12	„	ἀδικουμένοις	„	ἀδικούμενοι
„	62 „	21	„	mortus	„	ortus
„	63 „	7	„	annotatione	„	annotatio
„	65 „	6	„	singulorus	„	singulorum
„	74 „	ult.	„	aoristum	„	aoristum [1])
„	80 „	21	„	coeperunt	„	coeperunt"
„	102 „	22	„	quoqne	„	quoque

THESES.

THESES.

I.

Eur. El. 226:

μείνασ' ἄκουσον, καὶ τάχ' οὐ καλῶς ἐρεῖς.

(Sic codd.; Victorius: *οὐκ ἄλλως*)

Lege: *οὐ κακῶς*

II.

Soph. Ant. 452:

οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.

Lege cum WAKEFIELDIO: *ἣ — ὥρισεν*

III.

Soph. Tr. 196:

τὸ γὰρ ποθοῦν ἕκαστος ἐκμαθεῖν θέλων

Recipiendum est id quod conjecit E. THOMAS: *τὰ — ποθεῖν'*

IV.

Thuc. II 10,3:

παρεῖναι τοιάδ' ἔλεξεν. Sic codd.; Sintenis conjecit παρῄνει τοιάδε.

Lege: ἔλεγε καὶ παρῄνει τοιάδε.

V.

Thuc. VII 49,1 sic legendum est:

καὶ ἅμα ταῖς γοῦν ναυσὶ μᾶλλον ἢ πρότερον ἐθάρσησε κρατηθείς. (Codd. B H θαρρῶν)

VI.

Verum non est quod perhibent Vitae, Aristophanem histrionis partes egisse in Equitum fabula.

VII.

Propert. I 21,6:

Nec (Neapol. *ne*) soror acta tuis sentiat e lacrimis

Recte Beroaldus conjecit *haec*.

VIII.

Propert. I 22,5:

Sit mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor,

Lege: *hic* (*Sit* Neapol.; Lachmannus cum codd. deterr. *sic*; Reitzenstein *sed*)

IX.

Servii annotatio ad Verg. Ecl. X vs. 46 („Hi omnes versus Galli sunt de ipsius translati carminibus") non spectat nisi vss. 46—49.

X.

Tac. Ann. IV 3: *et* quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat.

Injuria NIPPERDEY delevit *et*.

XI.

Decretum Halicarnassensium quod legitur in Dittenbergeri Sylloge I. 10 pertinere videtur ad seditionem Halicarnassi factam quae Herodoto ut patria pelleretur causa fuit.

XII.

Quod Appianus B. C. II 149 narrat de Alexandri ad Ammonis oraculum itinere ex Arriani Anab. III 3,3 sq. deprompsit; quod autem ibidem narrat de Alexandro per Pamphyliae oram maritimam iter facienti e Plutarchi vita Alex. c. 63 desumpsit.

XIII.

Injuria contendit STEUPIUS (in annotatione ad Thuc. II 34,4) Athenis interdictum fuisse mulieribus ne exsequiis interessent.

XIV.

Recte vir doctissimus Friedrich Reuss contendit (Rh. M. N. F. 54, 1899, p. 465), quod Appianus dicit (prooem. c. 7) ea aetate qua prooemium suum scripserit Romae ducentos annos imperatores fuisse, eos annos esse numerandos ab anno 48^0 a. Chr. n.

XV.

Jure v.c. Karlowa (Römische Rechtsgeschichte I p. 257) contendit quaestores parricidii et quaestores qui aerarium provinciam obtinebant eosdem magistratus fuisse.

XVI.

Faciendum est cum viro doctissimo Franz Studniczka dicenti (Thukydides, erklärt von J. Classen; Erster Band, ed. quart. p. LXXIV) se non dubitare quin Thucydidis effigies quae in Herma Neapolitano conspicitur revera ipsius Thucydidis oris lineamenta referat.

XVII.

Fridericus Nietzschius (Werke, Band X p. 130 sq.; Leipzig, Naumann, 1896) de Socratis morte recte judicasse videtur.

XVIII.

Ex Edicto Regio quod agit de Examinibus Academicis (Ed. Reg. XXVII Febr. 1877) tollenda sunt verba quibus praescribitur ut semper dissertationes Classicae Latine conscribantur et defendantur.